



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Concilivm Trosleianvm Apvd Trosleivm In Pago Svessonico ab Heriueo
Rhemensi archiepiscopo, eiusque suffraganeis celebratum die VI.
Kalendas Iulias, anno Christi DCCCCIX. Sergii papae III. anno II. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

impune, impetrata tamen ab episcopo venia, aut eius vulneri medicinam, aut animo consolationem adhibeat.

XI.

Sagæ, ariolantes mulierculæ, periuriosæ, pestiferæ, & meretrices foedæ, ac flagitiosæ, sicubi deprehendantur, a finibus regni, vt pura & integra plebs sit, relegentur, aut in regno, ni ab illa mente destiterint, & accumulatiùs compensarint, male pereunto.

XII.

Si quis sacris initiatus, incolave, in iis quæ ad fortunas, vitamve eius spectarint, decipiatur, tum ei nationis illius rex, aut satrapes & episcopus loco cognatorum, & patroni sunt, ni is aliunde habuerit. Fraudator vero, prout feret maleficii ratio, Deo & regi satisfacito, aut graues, qui est regionis illius princeps, sceleris admissi pœnas repetito,

Desiderantur nonnulla.



CONCILIVM TROSLEIANVM
APVD TROSLEIVM IN PAGO SVESSONICO
ab Heriueo Rhemenfi archiepiscopo, eiusque suffraganeis celebratum die VI. Kalendas Iulias, anno Christi DCCCCIX. Sergii papæ III. anno II. Caroli Simplicis regis XVII.

ANNO
CHRISTI
909.

TITVLI CAPITVLORVM.

- | | |
|--|--|
| I. De honore & cultu ecclesiarum Dei. | ptiis, & incestis. |
| II. De statu regni, & fidelitate regis. | IX. De accessu, & frequentatione, ac cohabitatione presbyterorum & clericorum cum feminis. |
| III. De regulari statu iam pene lapsò. | X. De fugiendo luxuriam. |
| IV. De sacrilegis, & eorum damnatione. | XI. De periuriis cohibendis. |
| V. De vexatione, & inhonoratone sacerdotum. | XII. De discordantibus, iracundis, & litigiosis. |
| VI. De dotibus & decimis ecclesiarum, & de censu pro eis non exigendo. | XIII. De homicidiis & mendaciis. |
| VII. De rapinis. | XIV. De non diripiendis ecclesiis rebus defuncto episcopo. |
| VIII. De raptis, & occultis nu- | XV. Epilogus ad episcopos, & generaliter ad omnes. |

ANNO
 CHRISTI
 999.

P R Æ F A T I O.

SANCTVM, & Deo auctore celebratum, generaliter
 & sine vlla exceptione Nicænum præcipit Concilium, Conc. Ni-
 cen. Can. 5.
 vt omnibus simul episcopis prouinciæ congregatis discu-
 tiantur quæstiones necessariæ, & quod regulariter omni-
 bus placuerit in commune, hoc omnes tam metropolita-
 ni, quam ceteri sequantur episcopi. Simili modo & An- Conc. An-
 tioch.
 Can. 9.
 & 14.
 tiochenum Concilium, si quæ sunt agenda, peragere iu-
 bet prouinciales episcopos sui consilio metropolitani, &
 metropolitanum consilio coepiscoporum prouincialium,
 sicut est ibidem designatum. Et hoc non solum in causis
 quorumlibet fieri præcipit: sed etsi forte inter ipsos, in-
 quit, episcopos quæstio de quolibet negotio orta fuerit,
 primas prouinciæ iudices episcopos dare debebit. Leges
 quoque Romanæ, & beatus papa Gregorius multoties
 horum iudicio cognita veritate contentiones inter eccle-
 siasticos viros, vel quoslibet cum ecclesiasticis personis,
 salubrem demonstrat finem accipere debere: ita tamen,
 vt in omnibus quid antiqua habeat auctoritas requiratur.
 Vnde anno dominicæ incarnationis DCCCCIX. indiçtio-
 ne XII. VI. Kalendas mensis Iulii, conuenerunt vena-
 biles patres ac doctores ecclesiæ, Heriueus videlicet san-
 ctæ metropolis Rhemorum archiepiscopus, totius plebis
 Dei famulus, & coepiscopi Rhemensis dioceseos, quo-
 rum nomina subter tenentur adscripta, in pago Suessoni-
 co, in loco Trosleio, de statu sanctæ ecclesiæ, ac totius
 regni vtilitate tractaturi: & facta solenniter salutatione,
 omnibusque, vt mos est, ordine residentibus, archiepi-
 scopus sic exorsus est.

Quoniam per aliquot annos, partim infestatione Paga- Allocutio
 Heriuei ar-
 chiepisco-
 pi.
 norum, partim etiam grauissimis regni perturbationibus,
 ac quorundam falsorum Christianorum infestationibus
 præpediti, iuxta decreta Canonum nequiuimus congregari:
 nunc quia, annuente Domino, nobis congregandi facultas
 iuxta decreta Canonum data est, cum Dei gratia conuenientibus
 nobis in vnum, cooperante eo in cuius congregamur nomine,
 & qui habitare facit vnanimes in domo, primo nobis & ante
 omnia necessarium est seruare vnitatem spiritus in vinculo
 pacis, vt vnum sentiamus, &

vnum in Christo omnes dicamus, & secundum salutaria dicta martyris Cypriani seruetur a nobis caritas animi, honor collegii, vinculum fidei, concordia sacerdotii. & vt attendentes regulares constitutiones patrum nostrorum, a metropolis suæ quisque regulari consuetudine non abducatur. Et quia secundum definitionem canonicam perfecta debet haberi Synodus, in qua cum suis est suffraganeis metropolitanus, expedit atque condecet, vt quidquid boni, præueniente gratia, a qua est omne datum optimum, & omne donum perfectum, mente concipere & ore proferre valuerimus, eadem subsequente, sine qua nihil boni implere possumus, ad finem vsque perfectum opere perducere satagamus. Oportet igitur vt quamprimum Christianæ religioni iam labanti, iamque velut in præcipiti vergenti, ac mundo in maligno posito vestro consilio & auctoritate episcopali succurratis. Videtis quam fit euidentis furor Domini, & manus eius ad ferendum extenta. Ecce enim quotannis, ex quo terram nostram ex parte agra sterilitate damnatam aspicimus, quibus cladibus populus quotidie intereat videmus. Depopulatæ vrbes, destructa vel incensa monasteria, agri in solitudinem sunt redacti. ita vt vere possimus dicere quia peruenit gladius vsque ad animam. Vsque ad animam denique gladius peruenit, cum iusto Dei iudicio amissis exterioribus bonis, & exhausto flagellis atque afflictionibus corpore, ipsa virtus animæ lassata deficere videtur, & quasi nihil vitale in illa referuatur. Non hæc certe casu aliquo, aut e subita temporum vel elementorum mutatione contingunt, quia scriptum est: *Nihil in terra sine causa fit, & de humo non egreditur dolor.* De humo quippe dolor non egreditur, quia, vt beatus Gregorius dicit, nequaquam poena de ea nascitur creatura quæ percutit, sed de ea quæ peccando vim percussiois extorsit. Ecce enim cernimus, quod ad correptionem nostram expectatus imber arente terra frequenter suspenditur, caliginosus aer in ardescente sole siccatur, mare procellis intumescens sæuit, & alios ad transmeandum susceptos intercipit, aliis desideratum iter erecta in cumulum vnda contradicit: terra non solum germine fecunditatis imminuitur, sed etiam semina accepta consumit. In quibus nimirum cunctis patenter

Iob. 5.

ANNO
 CHRISTI
 909.

adspicitur hoc, quod quidam sapiens de Domino testatur
 dicens: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* De Sap. 5.
 humo dolor non egreditur, quia elementum insensibile
 non ex sua natura, sed pro meritis hominum ad affligen-
 dum peccatores excitatur. Et propheta de Domino dicit:
Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecit: & ipse Do- Amos 3.
minus de se per Esaïam dicit: Ego Dominus faciens pacem, Esa. 47.
& creans malum, hoc est otium & bellum. Hic enim ma-
 lum non pro boni contrario, sed medium quiddam, id est
 afflictionem significat. quæ utique a Domino fit, quia eo
 permittente peccanti populo subterducitur: vt qui in pa-
 ce Deum sequi noluerunt, saltem percussionibus attriti
 metuant & conuertantur, iuxta quod scriptum est: *Sola* Esa. 28.
vexatio intellectum dabit auditui. Nostris potius, & totius
 populi, quem regere debuimus, peccatis ista fiunt, quo-
 niam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput, &
 delicta nostra creuerunt vsque ad cælos. Fornicatio &
 adulterium, sacrilegium & homicidium inundauerunt,
 & sanguis sanguinem tetigit. Sanguis quippe sanguinem
 tangit, cum peccator malis suis grauius aliquod malum
 adiungit, nec vllum prauis actibus terminum indicit, sed
 iuxta Apostolum in peius quotidie proficit. Et pene est vt
 cum propheta Esaïa ingemiscamus, dicentes ad Domi-
 num: *Quare, Domine, errare nos fecisti de viis tuis? indurasti* Esa. 63.
cor nostrum ne timeremus te? facti sumus sicut in principio, cum non
dominaberis nostri, neque inuocaretur nomen tuum super nos. Cum
 enim Deus peccatores homines qui non solum peccant,
 sed etiam perseuerare in peccatis eligunt, cum, inquam,
 tales iusto iudicio deserit, eosque post prauitatem mali
 sui cordis abire permittit, quasi ipse eos errare facit, quos
 nequaquam misericorditer, vt conuertantur, occulta
 inspiratione præueniens tangit. Et sicut primi homines
 nulla lege, nullis disciplinis, nullo saltem timore prohi-
 bebantur male agere; sed libere ventri, & delectationi-
 bus oculorum, ac ceteris vitiis seruiebant: ita nunc post-
 habito humanarum vel diuinarum legum timore, con-
 temptis edictis episcopalibus, vnusquisque quod vult
 agit. potentior viribus infirmiolem opprimit, & sunt ho-
 mines sicut pisces maris, qui ab inuicem passim deuoran-
 tur, ac calcata iniquitate abundat ac conualescit iniqui-

Psal.ii.

tas. Hinc est quod videmus per totum mundum rapinas pauperum, deprædationes rerum ecclesiasticarum. Hinc sunt assidua lacrymæ, pupillorum luctus: ita vt iam clamor talium, sicut Sodomorum, ascendat ad cælum, & fiat quod per Psalmistam voce Domini dicitur: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Omnis pene ordo, omnisque status ecclesiæ confusus ac temeratus est. Denique, ne nobis parcere videamur, qui aliorum errata corrigere debemus, episcopi dicimur, sed episcopale officium non implemus. Ministerium prædicationis relinquimus, eos qui nobis commissi sunt videmus Deum deserere, & in prauis actibus iacere, & tacemus, nec eis manum correctionis tendimus: sed & si aliquando quædam dicere cœperimus, quæ carnalibus eorum animis valeant displicere, dicunt de nobis quod in euangelio Dominus de sedentibus in Moyse cathedra dixit: *Alligant onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* Sicque fit, vt nobis tacentibus grex Domini pereat, & per abrupta vitiorum præceps actus luporum immanium moribus pateat: dumque deest qui eos vitæ vias ingredi doceat, libere per deuia gradiuntur erroris, & impletur in eis, quod

Math. 23.

per prophetam dicitur: *Zelus apprehendit populum inerditum.* & alibi: *Idcirco, inquit, captiuus abiit populus meus, quia non habuit scientiam.* Pensemus qui vnquam per ministerium linguæ nostræ de peruerso opere conuersi pœnitentiam egerunt, quis luxuriam nostra prædicatione deseruit, quis auaritiam, quis superbiam declinauit. Nobis ergo, qui nomine censetur episcopi, maxima & prope importabilis incumbit sarcina pastoralis officii, dum instet reddenda ratio negotii nobis commissi cum exactione lucri: & dum iam iamque aduentus immineat illius in maiestate terribili, vbi omnes cum gregibus suis venient pastores in conspectum pastoris æterni, augmentum de grege, lucrum de negotio, manipulos de segete allaturi, quid sumus acturi, hic pastores vocati, illic sine ouibus venientes, quæ valeant præsentari? hic ab eo accepto talento ad negotium missi, illic ad Dominum nostrum post negotium redeuntibus vacui? hic directi in messem operarii, illic absque manipulis vacuis manibus præsentati? Pensemus

Esa. 5.

ergo

ANNO
 CHRISTI
 909.

ergo necesse est, quam in illo tanto examine rationem
 sumus reddituri, ne coram omni frequentia exercitus an-
 gelici, coramque copiosa electorum multitudine, quod
 absit, reddamur æternaliter confusi. Ergo considerantes
 & expauescentes imminens nobis de multorum perditio-
 ne periculum, congregati simul in nomine Dei omni-
 potentis, per vnicum filium eius Dominum nostrum Ie-
 sum Christum, in virtute sancti Spiritus consulamus no-
 bis, & commisso nobis gregi, ac de statu sanctæ ecclesiæ
 & regni, ac fidelitate regis nostri, sed & de statu mona-
 steriorum, quorum antiquitus statutus ordo & religio
 pene deletur, de rapinis quoque & sacrilegiis, nec non
 de raptis & periuriis, ceterisque flagitiis, sententiam se-
 cundum decreta sacrorum Canonum & decretorum epi-
 scopali ministerio, aut pastoralis exhortatione, prouocemus
 ad pœnitentiam & emendationem, aut impœnitentes,
 & corrigi nolentes, gladio verbi Dei bis acuto eorum
 corpora & animas concidamus, & æterno illos anathe-
 mate, hoc est alienatione a Christo & ecclesia, tam in
 præsentem, quam in futuro plectamus, nisi vel modo resipi-
 scant a laqueis diaboli, a quo capti tenentur ad ipsius vo-
 luntatem, & conuertantur ad Dominum viuum & ve-
 rum per aliquam correctionem, & prout possibilitas tu-
 lerit, congruam emendationem.

C A P I T V L A.

I.

Igitur decreuimus, vt cultus atque honor ecclesia-
 rum Dei in omnibus & ab omnibus religiose custodia-
 tur, & digna reuerentia immunitatibus earum ac mini-
 stris exhibeatur. Sed & regem ac principes condecet,
 vt priuilegia ex antiquo ecclesiis Dei concessa roborent,
 & stabiliter obseruari iubeant: & quemadmodum ab
 antecedentibus regibus honoratæ, vel rebus ampliatae,
 seu ditatæ fuerunt, ita de cetero sub omni integrita-
 te salua æquitatis ratione permaneant. Sacerdotes quo-
 que, & serui vel ancillæ Dei, vigorem ecclesiasticum
 obtineant, eisque regalis potestas, & illustrium vi-

Concil. Tom. 24.

Yyyy

rorum strenuitas, seu reipublicæ administratores, vt suum ministerium digne exequi valeant, in omnibus rationaliter & iuste concurrant. Si enim rex, & sæculi potestates, Dei & ecclesiæ honorem seruauerint, per hoc honor & potestas illorum augebitur, roborabitur, & stabilietur, & victoriæ illis de cælo ministrabuntur, & tam ipsi, quam successores eorum propter eos, in gloria & dignitate Deo propitio perdurabunt. Sin aliter egerint, & Deum contempserint, contemnet illos Deus, & despicabiles ac miseros reddet, & de folio regni exsufflabit, proiicienturque sicut puluis a facie terræ, iuxta quod in libro regum legimus de Achab, & ceteris regibus legis Dei transgressoribus, & sicut ad Heli principem gentis Hebræorum loquitur Dominus: *Quicumque, inquit, glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

1. Reg. 2.

II.

Et quoniam a nobis ratio exigitur omnium, & principum, & subiectorum, ab eo qui sine acceptione iudicat personarum, & pro ipsis regibus regi regum sumus reddituri rationem, sermo exhortationis ad vestram, domine rex, nobis habendus est excellentiam. In quo factò pontificalem sic exerimus auctoritatem, vt non obliuiscamur regiam a Deo constitutam esse sublimitatem, dicente apostolo: *Subiecti estote regi, quasi præcellenti.* Sicut enim regalis potestas sacerdotali religioni se deuote submittit: sic & sacerdotalis auctoritas cum omni pietatis officio se regali dignitati subdere debet, sicut sanctus ostendit papa Gelasius ad Anastasium scribens imperatorem: Duo sunt, inquit, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra pontificum, & regalis potestas: in quibus tanto grauius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus in diuino reddituri sunt examine rationem, &c. Ergo quia & rex pro æterna vita indiget pontificibus, & pontifices pro temporalium rerum cursu regali indigent dispositione; a rege obediendum est pontificibus recta, sancta, & iusta suadentibus, & vicissim a pontificibus obediendum est regi pietatis cultui religione, iure, & solatio seruienti. Hortamur igitur vestram, domine rex, excellentiam pietati & probitati sacris, veracibus, &

1. Pet. 2.

Gelasius
epist. 10.

ANNO
 CHRISTI
 909.

bonis insistere moribus, vt ex eorum inueniaris numero,
 de quibus canitur in psalmo: *In conueniendo populos in vnum*, psal. 101.
& reges vt seruiant Domino. & vt noueris, quomodo vt ho-
 mo, quomodo vt rex, seruire debeas Deo. Sic namque
 beatus ait Augustinus: Rex, quia homo est, seruit Deo vi- Epist. 50.
 uendo fideliter: quia rex est, seruit leges iusta prae-
 cipientes, & contraria prohibentes, conuenienti rigore fan-
 ciendo. & reliqua, quae latius in epistola ad Bonifacium
 exequitur. Oportet ergo, vt rex primo interpretetur no-
 men suum, & id quod dicitur nomine, fatagat esse. Rex
 quippe a regendo vocatur. Debet itaque rex primo vitam
 suam a quo moderamine regere, & vt quidam sapiens ait,
 refrenare libidinem, spernere voluptates, iracundiam
 tenere, ac ceteras animi pestes a se repellere. Tunc vere
 rex dici, & alios digne poterit regere, cum ipse impro-
 bissimis dominis dedecori aut turpitudini parere desierit.
 post haec, de pace populi, & quiete ac securitate totius
 regni conuenit eum sollicitum esse. Sit bonis amabilis,
 malis terribilis: sit releuator oppressorum, consolator
 pauperum, viduarum & pupillorum defensor. Illud im-
 plere fatagat, quod Salomon de bono rege dicit: *Rex, qui* Prov. 20.
sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo. Tanta quip-
 pe debet esse rex praeditus virtutis & iustitiae auctoritate,
 vt iniustum vel malum aliquid molientes solo intuitu for-
 midolosae maiestatis dissipet, ne ad mediatum facinus
 progredi audeant. Denique quomodo rex secundum be-
 neplacitum voluntatis Dei iuste & fideliter viuere debeat,
 pauca ex sanctorum patrum collecta sententiis, vestrae,
 vt dignum est, prospicientes saluti, vobis cognoscenda
 & facienda proponimus. Vt quid rex dictus sit, & qua-
 lis esse debeat, Isidorus in libro sententiarum scribit: Rex,
 inquit, a recte agendo vocatur. Si enim pie, & iuste, &
 misericorditer regit, merito rex appellatur: si his carue-
 rit, non rex, sed tyrannus est. Et quamuis antiquitus om-
 nes reges tyranni vocati sint: postea pie, iuste, & miseri-
 corditer regentibus, regis nomen inditum est: impie vero,
 iniuste, crudeliterque principantibus, non regis, sed ty-
 rannicum aptatum est nomen. Vnde & beatus Gregorius Lib. 11.
 Moral.
 cap. 9.
 ait: Viros sanctos proinde reges vocari in sacris eloquiis
 didicimus, eo quod recte agant, sensusque proprios be-

ne regant, & motus resistentes sibi rationabili discretionem componant. Recte igitur illi reges vocantur, qui tam semetipsos, quam subiectos bene regendo pacificare nouerunt. Regale vero ministerium specialiter est, populum Dei gubernare & regere cum æquitate & iustitia, & ut pacem & concordiam habeat studere. Ipse enim debet primo defensor esse ecclesiarum & seruorum Dei, viduarum, orphanorum, ceterorumque pauperum, nec non & omnium indigentium. Ipsius enim terror & studium huiusmodi, in quantum possibile est, esse debet, primo ut nulla iniustitia fiat, deinde si euenerit, ut nullo modo eam subsistere permittat: nec spem delitescendi, nec audaciam male agendi cuiquam relinquat: sed sciant omnes, quoniam si ad ipsius notitiam peruenerit quidpiam mali quod admiserint, nequaquam incorrectum aut inultum remanebit, sed iuxta facti qualitatem erit & modus iustæ correctionis. Vnde oportet, ut ipse, qui iudex est iudicum, causam pauperum ad se ingredi faciat, & diligenter inquirat, ne forte illi qui ab eo constituti sunt, & vicem eius agere debent in populo, iniuste aut negligenter pauperes oppressiones pati permittant. Scire autem & vnumquemque cuiuslibet sit ordinis oportet, quia si de otioso sermone Deo rationem redditurus est, multo magis de ministerio sibi diuinitus commissio. Sed & formam illam sapientis regis, quam in se Iob vir iustus ostendit, studeat imitari. Ait enim: *Cumque sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen merentium consolator. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi, quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non esset adiutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento & diademate iudicio meo. Oculus sui cæco, & pes claudopater eram pauperum, & causam quam nesciebam diligentissime inuestigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius aufereram prædam.* Hæc illo agente, implebitur in eo quod Salomon ait: *Misericordia & veritas custodient regem, & firmabitur iustitia thronus eius.* Sicque iustorum & electorum regum imitator effectus, fiet etiam in cælesti regno particeps gloriæ, & confors immortalium præmiorum. Attendant reges quid Sapientia dicat: *Diligite iustitiam, qui iudi-*

Iob. 29.

Prou. 20.

Sep. 1.

ANNO
 CHRISTI
 909.

catas terram. Item ibidem: Audite reges, & intelligite: discite ibid. cap. 6.
*iudices finium terræ: præbete aures vos, qui continetis multitudi-
 nes, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est a Do-
 mino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera
 vestra, & cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis ministri
 eius, non recte iudicastis, neque custodistis legem iustitiæ, neque
 secundum voluntatem eius ambulastis. Horrende & cito apparebit
 vobis Dominus: quoniam iudicium durissimum his qui præsumt
 fiet. Exiguo enim concedetur misericordia: potentes autem potenter
 tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam
 Dominus: nec reueretur cuiusquam magnitudinem. quoniam pu-
 sillum & magnum ipse fecit, & æqualiter pro omnibus cura est illi.
 Existunt & alia multa sanctarum scripturarum testimonia
 regio nomini & officio conuenientia, de quibus pauca ex
 dictis almi martyris Cypriani decerpta, quantas aduersita-
 tes iniustitia regis regno inferat, & quantum iustitia eius
 regno proficiat, demonstrabunt. Cum enim descripsisset
 qualiter rex conuersari deberet, subiungit: Qui vero re- De abufio-
 nibus sacu-
 li cap. 9.
 gnum secundum hanc legem non dispensat, multas nimi-
 rum aduersitates imperii tolerat. Idcirco enim sæpe pax
 populorum rumpitur, & offendicula etiam de regno susci-
 tantur, terrarumque fructus imminuitur, & seruitia po-
 pulorum præpediuntur. Multi & varii dolores prosperita-
 tem regni inficiunt. carorum & liberorum mortes tristi-
 tiam conferunt, hostium incurfus prouincias vndique va-
 stant, bestia armentorum & pecorum greges dilacerant:
 tempestates aeris, & hemisphæria turbata, terrarum &
 maris ministeria prohibent, & aliquando fulminum ictus
 segetes, & arborum flores, & pampinos exurunt. Itemque
 dicit: Ecce quantum iustitia regis sæculo valet, intuenti-
 bus perspicue patet. pax populorum est, tutamentum pa-
 triæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languo-
 rum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas ma-
 ris, terræ fecunditas, solatium pauperum, hereditas filio-
 rum, & sibimetipsis spes futura beatitudinis. Attamen sciat
 rex, quod sicut in throno hominum primus constitutus
 est, sic & in pœnis, si iustitiam non fecerit, primatum ha-
 biturus est. Omnes namque, quoscumque peccatores sub
 se habuit, supra se in illa futura pœna habebit. Cum ergo
 tanto ac tali asserente viro, qui cum apostolo Paulo dice-*

2. Cor. 13.

re poterat: *An experimentum queritis eius, qui in me loquitur Christus?* boni regis iustitia tanta & sibi & regno utilitatis conferat commoda, e contrario vero mali regis prauitas tanta & sibi & regno inferat damna, quanta vobis, rex venerande, in cunctis vestris actibus viuendum est cautela? Oramus igitur, vt hæc placida aure suscipiatis, & monitis placeat vobis in hære salubribus: quatenus vestris bene, & per vos aliorum iuste modificatis moribus, hac vobis commissa decenter administratione peracta, ab eo qui temporale vobis dedit regnum accipere mereamini æternum. Sed & nobis, & omnibus, qui in regno vestro consistimus, oportet vt iustam fidelitatem vobis conseruemus, & honorificentiam regiam exhibeamus, & de utilitate regni aliquid querenti, secundum scire & posse, verum & utile consilium suggeramus.

III.

De monasteriorum vero non statu, sed lapsu quid dicere vel agere debeamus, iam pene ambigimus. Dum enim, mole criminum exigente, & iudicium a domo Domini incipiente, quædam a Paganis succensa vel destructa, quædam rebus spoliata, & ad nihilum prope sint redacta, si tamen quorundam adhuc videntur superesse vestigia, nulla in eis regularis formæ seruantur instituta. Siue namque monachorum, seu canonicorum, seu sint sanctimonialium, propriis & sibi iure competentibus carent rectoribus, & dum contra omnem ecclesiæ auctoritatem prælati vtuntur extraneis, in eis degentes, partim indigentia, partim maleuolentia, maximeque inhabilium sibi præpositorum faciente inconuenientia, moribus viuunt incompositis: & qui sanctitati religionique cælesti intenti esse debuerant, sui velut propositi immemores, terrenis negotiis vacant. quidam etiam, necessitate cogente, monasteriorum septa derelinquunt, & volentes nolentesque sæcularibus iuncti sæcularia exercent, cum econtra dicat Apostolus: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Ergo quia non solum a vulgo nullo distare videntur vitæ merito, sed etiam, propter infima quæ sectantur opera, despectio- nis expositi sunt ludibrio, cum propheta cogimur Ieremia nostræ ciuitatis, sanctæ videlicet ecclesiæ, flere dispendia, & voce proclamare publica: *Quomodo obscuratum est*

2. Tim. 2.

Thren. 4.

ANNO
CHRISTI
909.

ANNO
CHRISTI
909.

aurum? mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum? Quod ita exponit papa Gregorius: Aurum obscuratum est, cum sacerdotum & spiritualium vita, quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. Color optimus est mutatus, quia ille sanctitatis habitus per terrena & abiecta opera ad ignominiam despectionis venit. Lapidem vero sanctuarii, quos nunquam necesse erat foris conspici, eos nimirum figurant, qui nunquam in extraneis debent actionibus videri. Sed dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum, dum hi, qui per vitam & orationem semper intus esse debuerant, per vitam reprobam foris vacant, & dum in sancto habitu constituti exteriora sunt quæ exhibent, quasi sanctuarii lapides foris iacent, &c. Quomodo igitur aurum sine aurifice in pristinum & optimum non potest reformari colorem, sic & monastica vita sine regularis abbatis prouidentia ad pristinum atque optimum viuendi nequit reformari ordinem. Regalis ergo potestas, quæ a recte agendo & ordinando vocatur, consideret quomodo recto hæc iudicio, secundum voluntatem eius, cui de omnibus iudiciis & dispositionibus suis rationem redditurus est, & secundum sacrorum Canonum sanctiones, atque secundum priscorum regum constitutiones dispenset. Prohibent quippe sacri Canones, ne aliquis laicus de religione præsumat. Itemque & Canonum præcipiunt instituta, simulque eorum pedisequa regum capitularia, sicut in libro primo capitulorum imperialium continetur, capitulo vigesimo octauo: Vt clerici Lib. 1. c. 28. & monachi, si inter se negotium aliquod habuerint, a suo episcopo iudicentur, & non a sæcularibus. Fas enim non est, vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio. Item: Vt laicis, quamuis religiosis, Ibid. cap. 31. nulla sit de rebus ecclesiæ disponendi facultas. Item: Vt loca, quæ semel Deo dicata sunt, aut monasteria sunt, maneat perpetuo monasteria, nec possint vltra fieri sæcularium habitacula. Nunc autem in monasteriis Deo dicatis monachorum, canonicorum, & sanctimonialium, abbates laici, cum suis vxoribus, filiis, & filiabus, cum militibus morantur & canibus. Legitur quoque in capitularibus, vt abbates monachorum regulam per singula verba Addit. 1. cap. 1.

discutientes pleniter legant, & intelligentes, Domino opitulante, efficaciter cum monachis suis implere studeant. Et quomodo discutiet? quomodo leget? quomodo intelliget? Si forsitan oblatas fuerit huiusmodi codex, respondebit illud Isaianum: *Nescio literas*. Et cum monachorum abbati a regula sancti & sancto Spiritu pleni beatissimi patris Benedicti: In doctrina, inquit, sua abbas illam semper apostolicam formam debet seruare, in qua dicit: *Argue, obsecra, increpa*. quomodo Apostolum ignorans, regulæ instituta, vel ipsam abecedariam lineam penitus nesciens, spiritualem discretionis modum tenebit? Et quid plura? in ipso ingressu lectionis sanctæ regulæ legitur de eligendo abbate, & qualis debeat esse. In capitulari vero Magni Caroli libro primo capite octuagesimo primo ita scribitur: Monachorum causam qualiter ex parte disposuerimus, & quomodo ex seipsis sibi eligendi abbates licentiam dederimus, & qualiter, Deo opitulante, quieti viuere, propositumque indefessi custodire valerent, ordinauerimus, in alia schedula diligenter annotari fecimus. Item in Concilio Turonis habito, postquam de canonicis clericis ciuitatum, qui in episcopis conuersantur, dispositum est, sequitur: Simili modo & abbates monasteriorum in quibus canonica vita antiquitus fuit, vel nunc esse videtur, sollicitè suis præuideant canonicis, vt habeant claustra & dormitoria, victum & vestimenta, &c. Sint, inquit, abbates sibi subditis bene viuendo duces & præuii, viamque demonstrent, qua rectè gradiendo ad meliorem vitam peruenire valeant. Itemque de monasteriis monachorum, post pauca quæ præmissa sunt, sequitur: Bonum videtur, vt ad pristinum reuertantur statum, & abbates eorumdem in eorum habitu & vita, sicut ipsa regula præcipit, incedere ac viuere studeant. & reliqua. Prohibetur denique, vt laicus causa manducandi ac bibendi in refectorium non ducatur. Et quomodo eorum abbas erit, cum quibus nec edendi licentiam habebit? Item in libro secundo capitularium capitulo quadragesimo: Monasteriis sane puellaribus tales præferri debent feminae, & abbatissæ creari, quæ & se, & subditum gregem cum magna religione & sanctitate custodire nouerint, & his, quibus præsumunt, prodesse non desinant: sed & se, & illas ita obser-

Isa. 29.

2. Tim. 4.

Cap. 86.

Concilium
Turon. III.
Can. 24.

Can. 25.

Cap. 42.

obser-

ANNO
 CHRISTI
 909.

obseruent, vtpote vasa sancta in ministerium Domini praeparata. Talem enim se debet subditis exhibere in veste, & in omniconiuctu, vt eis ad caelestia regna pergentibus ducatum praebat, sciat etiam se pro his, quas in regimine accepit, in conspectu Domini rationem reddituram. Hæc ita post primam sanctorum patrum, duce sancto Spiritu, ordinationem, ac deinde post canonicam de his auctoritatem, a prioribus imperatoribus & regibus decreta & custodita fuerunt. Et quousque priuilegia sunt seruata status ecclesiastici, profecit in augmentum sui conseruatus a Deo status regni. At postquam hæc cœperunt paruipeudi, labefactatus de die in diem, & iam pene in nihilum redactus est ille qui quondam florebat vigebarque status huius regni: & ita inoleuit malum, quod a transactis retro cœperat annis, vt iam principalis potestas putet sibi licere, secus quam auctoritas diuina se habeat, in causas ecclesiasticas proflire, & duce sancto Spiritu statutum a patribus ecclesie ordinem peruertere. Quod quidem nostrum est admonere: & si ad praesens per omnia nequit emendari, fatagere deinceps cum domino rege eiusque fidelibus debemus, quousque & bona illius intentio, vt credimus, & nostra nobis, & illi, omnique regno necessaria deuotio ad perfectionis cumulum, Deo cooperante valeat peruenire. Etenim nequaquam de istis audemus filere, ne de nobis illud propheticum dicatur: *Canes muti, non valentes latrare.* Itemque: *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel.* Respectum siquidem timoris Dei habentibus auditu lugubre, dictu nefas, actu dignoscitur horribile, quando contra omnem paratum, & totius Christianæ religionis auctoritatem & consuetudinem, in monasteriis regularibus laici in medio sacerdotum & ceterorum religiosorum, vt domini ac magistri residentes, velut abbates de illorum vita & conuersatione ac regula sibi penitus ignota peruerso ordine diiudicant. Quæ pro certo abominatio illa est, quam Dominus in euangelio praesignat dicens: *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco ubi non debet, qui legit intelligat.* Ista namque vere est abominatio desolationis, non tantum subditorum, vel eorum qui illis ad suam ipsorum perniciem videntur principari, verum regis, & totius regni, omnium-

que qui tam detestabili fauent ordinationi. Censemus igitur, vt status monasteriorum inuiolatus, iuxta antiquam regulæ traditionem, & Canonum constituta seruetur, & vt abbates sint religiosæ personæ, & quæ regularem nouerint disciplinam. Monachi vero, vel sanctimoniales, iuxta suam professionem, sobrie, & pie, ac simpliciter uiuant, ac pro regum salute, ac regni pace, & ecclesiæ tranquillitate supplicent, non sæcularibus curis vel negotiis occupentur, non pompas mundiales requirant, non ecclesiastica iura inquietent, sed iuxta proprietatem sui vocabuli quiete otium amplectantur. Auditur enim, quod sprete humilitate & abiectione monastica, ornamentis, & his etiam quæ bonis laicis indecentia & turpia sunt, operam impendant, & nequaquam contenti communibus rebus, propriis & lucris turpibus inseruiant, quod vitium tamquam pessimum cancer, ne vltra proserpat, radicitus auellendum est, & abbatum atque episcoporum vigili cura recidendum. Sane ne vlla monachis euagandi, vel de talibus præsumendi quippiam detur occasio, prouideant abbates, vel præpositi monasteriorum, vt secundum quod temporis vel loci fert possibilitas, omnia illis in victualibus & vestibus necessaria, sicut regula præcipit, opportune ministrentur.

IV.

Contra sacrilegos quoque iustum est vt canonica censura procedat. Et primo dicendum quid sit sacrilegium. Sacrilegium est sacræ legis violatio. quod cum per multa specierum diuidatur crimina, & sit sacrilegium schismatis, vnde beatus pater ait Augustinus: Apertissimum sacrilegium eminet schismatis, si nulla fuit causa separationis: sit etiam sacrilegium blasphemæ sermonis, & cuiusque contra sacram legem vsurpatæ actionis; specialius tamen nunc a nobis illud sacrilegium denotatur, quod a prædonibus de rebus ecclesiæ agitur. Est enim hoc sacrilegium, reseclesiæ sacratas auferre, possessiones ad ius ecclesiæ pertinentes, vel aliquid ecclesiæ consecratum vel donatum tollere, inuadere, fraudare, vel rapere. Hoc namque agentes vere sacrilegi sunt, & homicidæ, de quibus & sanctus Anacletus dicit: Qui abstulerit aliquid patri vel matri, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos

Epist. 1.

ANNO
CHRISTI
909.

ANNO
CHRISTI
909.

creavit: mater nostra ecclesia, quæ nos in baptismo spiri-
tualiter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias & ecclesiæ
rapit, aufert, vel fraudat, homicida est. Item dicitur: Qui
rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit: qui autem
pecuniam vel res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, &
vt sacrilegus iudicandus est. Et sanctus papa Urbanus: Res, Ep. vnica.
inquit, & facultates ecclesiæ oblationes appellantur, quia
Domino offeruntur, & sunt vota fidelium, & precia pec-
catorum, atque patrimonia pauperum: si quis illas rapue-
rit, damnationis Ananiæ & Sapphiræ particeps erit, &
oportet huiusmodi tradere satanæ in interitum carnis, vt
spiritus saluus sit in die Domini. Et vt in breui denotentur
isti, secundum quod de eis scriptura dicit, & ad rem de
qua agitur pertinens esse videtur, omnes contra legem fa-
cientes, resque ecclesiæ quascumque diripientes, vel ec-
clesias sacerdotesque contra diuinas sanctiones vexantes,
sacrilegi atque indubitanter infames sacrilegi vocantur.
Et heu, proh dolor! quanti scientes, quanti quia scire no-
lunt, vel quid sit sacrilegium scire se dissimulant, ideo ne-
scientes in hoc pessimum facinus proruerunt, & quotidie
proruunt? Et quia hoc anathema in medio est populi
Christiani, non est Deus cum eis, nec possunt stare con-
tra inimicos suos Paganos, sed fugiunt. Rogo attendat
vnusquisque, si propter sacrilegium, quod admisit Achan
filius Charmi, non potuit Israel stare ante hostes suos, eos-
que fugit, Domino interminente: *Non ero vobiscum, donec Iosue 7.*
conteratis eum qui huius sceleris reus est. Si ergo vno peccante
in omnem populum defæuuit furor Dei, donec ille cum
omni domo sua deleteretur, quid putamus de nobis fiet,
qui nostro tempore tot sacrilegia fieri, tot sacrilegos impu-
ne mala agere videmus, nec solum nihil metuere, sed &
in suis impietatibus exultare? Cogitandum, ne forte pro-
pter hæc & huiusmodi sit ira Dei in nos iustissime superdu-
cta, & clam cum rogatur Deus non exaudit. Opposuit enim
sibi nubem, ne transeat oratio. Et sicut Iosue dictum est:
Quid clamas ad me? ita etiam nobis orantibus dicitur, Non
vos exaudiam, donec auferatur ex vobis sacrilegium, &
tollatur de medio vestrum qui hoc pollutus est scelere. Nos
tamen cum beato Iosue non cessemus ad eum clamare,
ipsoque sacrilegos monere, vt per confessionem, & emen-

Concil. Tom. 24.

Zzzz ij

Iob. 24.

Tract. 50.
in Ioannē.ANNO
CHRISTI
909.

dationem reatus sui, dent gloriam Deo: & quoniam, vt sanctus ait Iob, *dedit eis locum Deus pœnitentię*, videant ipsi ne abutantur eo in superbia. Ideo denique tales diuina dispensatio in iniquitate tolerat, vt ab iniquitate compeſcat: sed si accepta pœnitentię tempora deuertunt ad culpam, & secundum duritiam suam & cor impœnitens thesaurizant sibi iram in die irę, districtus in vltimis iudex impensa argumenta misericordię conuertet ad pœnam, atque ex pręrogata clementia iudicis crescet eis cumulus maledictionis. Nequaquam igitur blandiantur sibi, quod adhuc sustentati longanimitate Dei, inter bonos impune videntur immorari. Considerent Iudam, non apostolum, sed apostatam, sibi consimilem, furem sacrilegum: audiant quid de eo beatus pater dicat Augustinus: Ecce inter sanctos est Iudas, ecce fur est Iudas, & ne contemnas, fur & sacrilegus: non qualiscumque fur: fur loculorum, sed dominicorum: loculorum, sed sacrorum. Itemque: Non sic iudicatur furtum rei priuatę, quomodo publicę: quanto vehementius iudicandus est sacrilegus fur, qui ausus fuit non vndecumque tollere, sed de ecclesia tollere? qui aliquid de ecclesia aufert, vel furatur, Iudę perditio comparatur. Talis erat iste Iudas, & tamen cum sanctis discipulis Christi intrabat, exhibat, & ad ipsam cœnam dominicam pariter accessit. Hęc verba sancti Augustini. Propter quosdam vero, qui se nescire dissimulant in quibus rebus tantum scelus admittant, breuiter commemorandum credimus, quod omnia quę Domino offeruntur, procul dubio & consecrantur: & non solum sacrificia, quę a sacerdotibus super altare Domino consecrantur, oblationes fidelium dicuntur, sed quidquid ei a fidelibus offertur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager, vel quodlibet artificium, ædificium, vestimentum, quodcumque mobile vel immobile de his rebus, quę supplementum sanctę Dei ecclesię, eiusque ministris, atque ornatum pręstare possunt, indubitanter Domino consecratur, & quicumque ab ecclesia aliquid ex his quocumque modo alienauerit, abstulerit, inuasit, vastauerit, minorauerit, siue diripuerit, quia Christus & eius ecclesia vna est persona, & quęcumque ecclesię sunt, Christi sunt, procul dubio sacrilegium committit. Quapropter in li-

ANNO
 CHRISTI
 909.

bro capitularium secundo, capitulo quadringentesimo vigesimo septimo ita sancitur: Omnibus nos ipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, generaliter interdicimus, vt nullus laicus homo, vel imperator, vel rex, aut episcopus; aut aliquis præfectorum, vel comitum sæculari potestate fultus, sibi per violentiam rapiat, aut a nobis competere, vel quocumque modo inuadere præsumat monasterium, aut prædia, vel quascumque res, vel aliquid de monasterio abbatis aut abbatissæ, & incipiat ipse vice abbatis regere & habere sub se monachos; & pecuniam possidere, quæ fuit Christi sanguine comparata. Talem hominem antiqui patres nominabant raptorem & sacrilegum, & homicidam pauperum, & lupum diaboli intrantem in ouile Christi, & maxime anathematis vinculo damnandum ante tribunal Christi. De talibus memores estote scripturæ sancti apostoli Pauli ad Timotheum dicentis: *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo qui præstat omnia.* Tales, si ecclesiæ correctionem non recipiunt, Ethnicis & publicanis sunt similes, quibus nec viuus nec mortuis communicat ecclesia Dei. Talibus, qui & hic & ibi reperiuntur, cum tuba Dei clangamus, ne tacentes damnemur, vt simul cum eis pereamus. Si autem in tantum horribilis est Deo ille qui impie agit, certe separatus est talis a Deo, & anathemati iuste subiicitur. Anathema enim nihil aliud significat, nisi a Deo separationem, sicut in veteri & nouo testamento iudicium de anathemate significat. Et nullus sacrilegus regnum Dei possidebit, nisi per puram probatamque & publicam pœnitentiam, & sanctæ ecclesiæ, eius præcipue quam læsit, satisfactionem, atque per manus impositionem episcoporum, & reconciliationem. Et vt nouerit se a regno Dei, & a consortio sanctorum, qui iam cum Christo regnant, & in æternum cum eo regnabunt, in futuro alienandum, a præsentique ecclesiæ, quæ & ipsa regnum Dei est, & a societate fidelium eius in Deo alienatur: Vt quisquis ille est, pro certo hoc sciat, quia tali, nisi per satisfactionem condignam, nec viuo nec mortuo ecclesia non communicat: sed sicut in libro beati Iob dicitur, *sepelietur in interitu*, id est in pœna ^{Iob. 27.} perpetua deprimetur. *tollet eum ventus vrens*, id est mali-

Lib. 6. 321.

1. Tim. 6.

Iob. 27.

Jerem. 1.

gnus spiritus, qui viuentem accendit ad sacrilegii scelera, morientem trahit ad tormenta. & quoniam iuxta illud Ieremiæ: *Olla succensa fuit, & facies eius a facie Aquilonis*, id est, cor feruens æstu prædandi, & diabolicæ suggestio- nis flatu inflammatum habuit, ipso vrente vento, id est diabolo, raptus cum eo in olla æternæ combustionis arde- bit. Ergo & nos congregati cum Spiritu sancto, sicut Ie- remias peccatorem populum quadruplici planxit alpha- beto, sic & nos sacrilegos Dei & ecclesiæ contemptores percutiamus quadruplici anathematis maledictio. Sit eis clausa porta cæli, aperta ianua inferni, cum nullo Chri- stiano partem habeant omnino, vel societatem. sed & de reliquiis ciborum illorum nihil detur pauperibus, quin potius proiciatur canibus, donec per dignam & humi- lem pœnitentiam, & congruam emendationem, lætifi- cent ecclesiam, quam per sacrilegia, & nefanda scelera exacerbauerunt. Sed quia sunt quidam, qui temporalem potius mortem, quam æternam timeant, recensemus quid sæculi leges de talibus præcipiant. In libro suprascri- pto capitulo quadringentesimo trigessimoprmo iubetur, vt capitali pœna multentur, qui sacrilegia, adulteria, præ- dationes, aut deuastationes exercuerint, & omnes res eo- rum, tam mobiles, quam immobiles, fisco regis socien- tur, vel ecclesiæ, cuius res vastauerint, alienauerint, aut abstulerint, tradantur. Hæc de sacrilegis prædonibus ec- clesiarum.

V.

Nulli fidelium dubium est, quod ecclesia Dei in pon- tificibus & sacerdotibus reliquis, quibus populus Domini commissus esse dinoscitur, constet, & eis sicuti domus quibusdam suis innitatur columnis. Sed quorumdam pra- uorum hominum mentibus ac moribus, qui se in domo ecclesiæ nomine potius, quam recta conuersatione, vide- ri appetunt, tantæ stoliditatis inest amentia, vt non intel- ligant quia status ecclesiæ ita sacerdotibus, quod absit, ali- qua impulsione nutantibus infirmatur, sicuti excussis co- lumnis domus totius fabricæ ruinam minatur: & idcirco non solum sui casus periculum non metuunt, sed eosdem Dei sacerdotes vexantes, seipsos, vt pariter cum ruenti- bus corruant, præcipitant, impellunt. Nec attendunt,

ANNO
 CHRISTI
 909.

imo nec reuerentur, quoniam qui eis iniuriam vel contumeliam irrogant, Domino Deo nostro Iesu Christo, cuius vices agunt, iniuriosi & contumeliosi existunt: & quia omnes, qui ecclesias sacerdotesque contra diuinas sanctiones vexant, sacrilegi habentur, atque indubitanter infames sacrilegi vocantur. Et ne quis dicat, alia nos ex nostro fingere corde, audiat sanctas sanctorum sententias de talibus ira se habentes. Clemens ab ipso sanctissimo ore Petri apostoli edoctus de omnibus, in secunda ad Iacobum fratrem Domini epistola, de his qui in patres peccant sic dicit: Qualis condemnatio, & qualis imminet maledictio eis qui in patres peccant, diuina nos docet scriptura. Si enim Cham filius Noe, cum vidisset nudum patrem suum, quoniam non cooperuit patris corporalem nuditatem, sed egressus nuntiauit eam fratribus suis, & illi vestimento eam cooperuerunt, ipse quidem Cham, & illi qui ex eo nati sunt, sub maledictione facti sunt, qui autem cooperuerunt, magnam benedictionem meruerunt: multo magis isti maiore & ampliore condemnatione digni sunt, qui patribus obuiare, aut contra eos insurgere nituntur: quoniam qui his resistit, Deo resistit, & qui eis iniuriam vel contumeliam facit, Deo; cuius legatione funguntur, facit. Item in tertia epistola idem Clemens de honore episcoporum: Si igitur vobis episcopis non obedierint omnes presbyteri, diaconi, aut subdiaconi, & reliqui clerici, cuncti, omnesque principes, tam maioris ordinis, quam & inferioris, atque reliqui populi, tribus, & linguarum non obtemperauerint, non solum infames, sed extorres a regno Dei, & consortio fidelium, ac a liminibus sanctae Dei ecclesiae alieni erunt. Nam vestrum est, eos instruere: eorum vero est, vobis obedire vt Deo, cuius legatione fungimini, dicente Domino: *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit: & qui vos recipit me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Nihil enim iniustius, vel inhonestius, quam filios patribus rebelles, aut clericos vel laicos doctoribus, seu discipulos magistris inobedientes vel proteruos existere. Nouimus enim primum hominem per inobedientiam cecidisse. Idcirco omnes hoc vitium summo pere cauere monemus. Et quia Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, Dominus noster mit-

Clemens
 epist. 1.

Gen. 9.

LUC. 10.

Anaclet.
epist. 2.

Math. 23.

Psal. 81.

Ibidem.

Psal. 93.

Rom. 14.

Ibidem.

Zach. 2.

Anaclet.
epist. 2.

tens nos vice sua in loco apostolorum ad prædicandum præcepit nobis docere omnes, omnesque nobis fideliter obedientes vt ipsi, existere. Item ex decretis Anacleti papæ, quod episcopi a Deo sint iudicandi, non ab humanis aut prauis hominibus: Liquet quod summi sacerdotes, id est episcopi, a Deo sunt iudicandi, non ab humanis aut prauæ vitæ hominibus lacerandi, sed potius ab omnibus fidelibus portandi, ipso Domino exemplum dante, quando per seipsum, & non per alium, vendentes & ementes eiecit de templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium proprio euertit flagello, & eiecit de templo. Et sicut alibi ait: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat.* & alibi: *Ego dixi, dii estis, & filii Excelsionum.* Nullus enim, vt reor, inuenitur inter nos, qui velit suum seruum ab alio, quam a se, iudicari, quod si præsumptum fuerit, aut multa ipse indignatione irascitur, aut potius ultionem quærit super eum. Si vero hoc inter homines agitur, quid putatis faciet Deus deorum, & Dominus dominantium, qui ultionem suorum promisit non differre seruorum? Vnde & ipse per prophetam loquitur dicens: *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit,* & reliqua. Et Apostolus inquit: *Tu quis es, qui iudicas seruum alienum? suo enim domino stabit, aut cadet.* & ipse: *Nolite iudicare inuicem, sed iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.* & Dominus per prophetam inquit: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Nam si aliquis nunc in malum oculos alicuius principis incipit tractare, manifeste reus maiestatis iudicatur, & infamis efficitur, aut potius capitali sententiæ subiacet. Hæc, fratres, valde cauenda sunt, & quod homines nolunt sibi fieri, Deo deorum non debent inferre, ne forte irascatur Dominus, & faciat vindictam eorum etiam in eos qui non peccauerunt, quia perit sapissime iustus pro impio. Item in eodem decreto, vt nullus facile accusare audeat episcopum: Apostoli, successoresque apostolorum, considerantes statuerunt ne facile commouerentur, aut lacerarentur, vel accusarentur columnæ sanctæ Dei ecclesiæ, quæ apostoli, & successores eorum non immerito dicuntur: sed si quis aduersus eos, vel ecclesias eorum, commotus fuerit, aut causas habuerit, prius ad eos concurrat caritatis studio, vt familiari colloquio com-

moniti,

ANNO
 CHRISTI
 909.

moniti, ea sanent quæ sananda sunt, & caritatiue emendent quæ iuste emendanda cognouerint. Si autem aliqui eos, priusquam hæc egerint, lacerare, accusare, aut infestare præsumperint, excommunicentur, & minime absoluantur, antequam per satisfactionem, vt iam dictum est, condignam egerint pœnitentiam: quoniam iniuria eorum ad Christum pertinet, cuius legatione funguntur. Nec hoc mirum: quia si quisque nostrum cuidam suorum legationem iniungeret, & a quoquam impediretur, aut ab aliquo subditorum suorum despiceretur, mox indignatus irasceretur, aut talia prout posset vindicaret, & ad iniuriam & contumeliam sui hoc factum reputaret, & talionem, si in præsentia non posset, futuris temporibus redderet. Nam si in hominum causa hæc fiunt, quid putatis Deus faciet de suis, qui nec capillum capitis eorum perire dixerit? Vnde & Dominus per Nahum loquitur prophetam dicens: *Deus æmulator, & ulciscens Dominus: ulciscens Dominus, & habens furorem. Ulciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis.* Ex decretis Euaristi papæ, de honore episcoporum: Episcopum oportet opportune & importune, atque sine intermissione ecclesiam suam docere, eamque prudenter regere & amare, vt a vitiis se abstineat, & salutem consequi possit æternam: & illa cum tanta reuerentia eius doctrinam debet suscipere, eumque amare & diligere, vt legatum Dei, & præconem veritatis, quia testante Veritate: *Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in caelo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in caelo.* Nimis timenda est, fratres, hæc sententia, & præuidendum vobis, ne offendatis eos qui tantam a Domino habent potestatem. & ideo potius obediendi, diligendi, & summopere sunt venerandi, non detrahendi, vel lacerandi, veleiiciendi, sed portandi, & amandi, ipso dicente Domino: *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.* Ideo vobis & omnibus fidelibus scribimus, fratres, vt ab his vos caueatis, & posteris vestris non malum, sed bonum exemplum relinquatis: quoniam iniuria episcoporum ad Christum pertinet, cuius vice funguntur. Ex decretis Alexandri papæ, de non vexandis sacerdotibus: Peruenit ad conscientiam apostolicæ sedis, quod nonnulli sint tam stolidi, qui dominica præcepta, & apostolorum, eorumque suc-

Nahum. 1.

Euarist.
 epist. 2.

Matth. 16.
 & 18.

Luc. 10.

Alexand.
 epist. 1.

Zach. 1.

cessorum statuta minime obseruent, & eos de quibus Dominus ait: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*, non solum tangere minime dubitant, sed etiam persequi non formidant. Et licet nos persequantur, quia nec nos sine illis, nec illos sine nobis persequi possunt, quoniam illius sumus discipuli, qui animas pro fratribus præcepit ponere: tamen eorum pericula & perditiones non sumus ausi celare, ne prophetica, quod absit, damnemur sententia, quæ ait: *Si annuntiaueris iniquo iniquitatem suam, animam tuam liberaasti: si autem non annuntiaueris ei, sanguinem eius de manu tua requiram.* Qui ergo sacrilega persuasione persequuntur & lacerare nituntur episcopos, vel eos qui recte Domino sacrificant, indubitanter Dominum persequuntur & dilaniant, cuius vice funguntur.

Ezech. 3.

Unde Dominus ait per Iael prophetam: *Numquid ultionem vos reddetis mihi? & si ulciscimini vos contra me, cito reddam vobis vicissitudinem super caput vestrum.* Has considerantes pietates, & pericula vitantes animarum, vna cum omnibus Dei sacerdotibus, qui nobiscum in hanc sacram conuenerunt urbem, & cum omnibus huius capituli membris, sicut a beatis apostolis, ac reliquis sanctis patribus, ac successoribus eorum accepimus, statuentes decernimus, omnes qui sanctos patres persequuntur, aut amouere vel dilacerare manifeste nituntur, infames esse & alienos a liminibus ecclesiæ vsque ad satisfactionem fieri: quia sic odit Deus eos, qui aduersus patres armantur, ut patrum inuasores vel destructores, qui ideo infames efficiuntur, quia patres persequuntur. Item cuius supra:

Iael. 3.

Nulli, fratres, dubium est, quia boni a malis semper persequuntur & tribulantur. Propter quod nos oportet humiliari sub potenti manu, ut liberet nos in tempore tribulationis. Nam sicut leo rugiens circumit quærens quem deuoret, sic diabolus non cessat circuire & quarere quos ex fidelibus perdat, & maxime eos, quos ardentiores in seruitio Saluatoris eique familiares inuenerit. Familiares dico, quos sibi sacrari, & in ordine apostolorum constitui voluit. Ipsi enim pro populo interpellant, & peccata populi comedunt, quia suis precibus & oblationibus ea delent atque consumunt. qui quanto digniores fuerint, tanto facilius pro necessitatibus eorum, pro quibus cla-

Alexand.
epist. 2.

ANNO
 CHRISTI
 909.

mant, exaudiuntur. *Multum enim*, vt ait Iacobus aposto- Jac. 5.
 lus, *valet deprecatio iusti assidua*. Qui autem vos persequitur,
 ipsum, cuius legatione fungimini, persequitur: quia sicut
 ipse Filius Dei mediator fuit Dei & hominum, ita & vos
 eius vice in ecclesia estis constituti, vt inter Deum & ho-
 mines legatione fungamini. Si quis autem legationem ve-
 stram impedit, non vnus, sed multorum profectum auer-
 tit, & sicut multis nocet, ita a multis arguendus est, & bo-
 norum societate arcendus, & quia Dei causam impedit, &
 statum conturbat ecclesie, ideoque ab eius liminibus ar-
 ceatur. Ab omnibus quoque talis est cauendus, & non in
 communionem fidelium vsque ad satisfactionem recipien-
 dus. Est enim statutum olim, vt qui statum conturbat ec-
 clesie, ab eius liminibus arceatur, nec cum fidelibus com-
 municet, qui eorum bona auertit. Ex decretis Telesphori Epist. 1.
 papae, de episcopis non arguendis, aut accusandis: Iustum
 est omnes in vniuerso orbe doctores legis ea quae legis sunt
 sapere, & non sacerdotes Domini labiis suis, aut quibuslibet
 machinationibus maculare. Dum enim ipsos disponunt,
 aut cupiunt maculare, potius seipsos maculant, & vulne-
 rant. Dei ergo ordinationem accusat, qui sacerdotes accu-
 sat, vel damnare cupit: a quibus se omnes fideles cauere de-
 bent, quia non solum qui faciunt, sed qui consentiunt fa-
 cientibus, rei sunt. Ex decretis Pontiani papae, de honore Epist. 1.
 episcoporum, & quod ipsi non sint infestandi, sed veneran-
 di: Sacerdotes non sunt infestandi, sed honorandi. In eis
 quoque Dominus honoratur, cuius legatione funguntur.
 Hi ergo si forte ceciderint, a fidelibus sunt subleuandi, at-
 que portandi. Accusandi autem non sunt ab infamibus aut
 sceleratis, vel inimicis, aut alterius sectae, vel religionis ho-
 minibus. Sed si peccauerint, a reliquis arguantur sacerdo-
 tibus, & a summis pontificibus constringantur, & non a
 saecularibus, aut malae vitae hominibus arguantur, vel ar-
 ceantur. Haec scilicet sunt apostolorum decreta, imo ip-
 sius Christi dicta: quibus si quis obuiare aut contradice-
 re tentauerit, non se Christianum, sed antichristum com-
 probauerit. Ergo si sacerdotes Dei non sunt infestandi, non
 contristandi, non accusandi, non a saecularibus arguendi,
 non reprehendendi, non iudicandi, non damnandi, non
 arcendi, non negligendi, non quibuslibet machinationi-

bus maculandi vel dilacerandi, aut detrahendi, non aliqua iniuria vel contumelia affiendi, quin minus persequendi, excæcandi, aut interficiendi. Nam de iniuria vel dehonoratione sacerdotum, in iam dicto capitulari libro

Lib. 6. c. 98. VI. capite XCIX. ita scriptum habetur: Si quis episcopo aliquam iniuriam, aut iniustam dehonorationem fecerit, de vita componat, & omnia quæ habere visus fuerit, ecclesiæ, cui episcopus præesse dinoscitur, integerrime societur, & nobis in triplo bannus noster, id est solidi LX. persoluantur, aut ipse in seruitio fisci nostri seruiturus semper societur, vsque se redimat in triplo iuxta vvirgildum suum, si potuerit. Sancta vero ecclesia in sacerdotibus constat. Idcirco magna pœna plectendi sunt, qui episcopis, vel reliquis sacerdotibus, iniuriam vel contumeliam fecerint. Nam detractio sacerdotum ad Christum pertinet, cuius vice legatione in ecclesia funguntur. Item

Lib. 6. c.
304.

ex eodem libro, capite CCXCVII. Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit, vt in ecclesias, earumque res irruens, sacerdotibus & ministris, vel ipsi cultui, locoque aliquid importet iniuriæ, vel inferat ad diuini cultus iniuriam, in conuictos, siue confessos reos capitali sententia nouerit iudicandum. Nec expectetur, vt episcopus iniuriæ propriæ ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi soli gloriam dereliquit. Sitque cunctis non solum liberum, sed etiam laudabile, factas atroces sacerdotibus aut ministris iniurias, velut publicum crimen, persequi, ac de talibus reis ultionem mereri. De his qui clerum iniuriauerint. ex

Lib. 5. c. 121.

capitulari Caroli imperatoris: Quicumque iudex, aut secularis aduersus presbyterum, aut diaconum, aut quemlibet de clero, aut de iunioribus, absque audientia episcopi, vel archidiaconi, vel archipresbyteri, iniuriam inferre præsumpserit, anathema ab omni Christianorum confortio habeatur.

VI.

Et quoniam sunt aliqui tantæ cupiditatis face succenssi, vt non solum sibi a Deo concessis non bene vtantur, verum inconcessa acsi licita ambiant, & ex his quæ diuinis sunt tradita & oblata cultibus, & secundum legem Domini sancta sanctorum sunt Domino, & ad ius pertinent sacerdotum, exactiones census ab ipsis sacerdotibus sibi exqui-

ANNO
CHRISTI
909.

rant, & xeniis, ac pastis, vel paraueredis, seu cabal-
lorum saginationibus presbyteros affligant, cum ex eis, quæ
seu pro dote, seu quacumque fidelium deuotione, vnicui-
que tradita sunt ecclesiæ, non aliud quodlibet seruitium,
nisi spiritale exigere debeant; necessarium nobis videtur,
huiuscemodi præsumptiones, quia contra canonicam
fiunt auctoritatem, modis omnibus cohibere. Ab anti-
quo denique tempore a sanctis patribus, & a nostris est
maioribus constitutum, vt sicut habet episcopus in sua or-
dinatione omnem generaliter parochiam, cum omnibus
rusticanis parochiis, quas per tricennium inconcusse posse-
dit: ita & vnusquisque presbyter in sua ordinatione ac dis-
positionis cura habeat parochiam suam cum dote & deci-
mis ecclesiæ, videlicet cum sui episcopi consilio ac disposi-
tione, secundum regulas antiquitus & diuinitus constitu-
tas: sicut olim ante incarnationem Christi a sancto Spiritu
per prophetam prædictum, & post eius ascensionem in
cælos, eodem sancto Spiritu per sanctos Dei homines de-
cretum fuisse demonstrat sanctus Basilius exponens ver-
sum psalmi: *Conuallem tabernaculorum dimetiar.* Conuallis, Psal. 59.
inquit, tabernaculorum dimetietur, hoc est vniuersus
orbis terrarum, qui vallis tabernaculorum pro habita-
culis corporum dictus est, hic velut quadam sorte diui-
sus atque dimensus per singula loca ecclesiarum Dei paro-
chiis & incolatibus diuiditur, &c. Hinc iterum scriptum
est: *Distribuite domos eius,* videlicet vniuersalis ecclesiæ, per Psal. 47.
custodiarum parochias prædicando, *vt enarretis in progenie
altera,* & reliqua. Quia vero facultatum & dotum ad eccle-
sias pertinentium dispositio, secundum Canonum anti-
quam constitutionem, ad episcoporum solummodo ordi-
nationem, & ad presbyterorum dispositionem pertineat,
Toletanum manifestat Concilium dicens: Multi contra Concilium
Toletanum
III. Can. 19.
Canonum constituta sic ecclesias, quas ædificauerint, po-
stulant consecrari, vt dotem, quam eisdem ecclesiis con-
tulerint, censeant ad episcopi ordinationem non pertine-
re. Quod factum & in præteritum displicet, & in futuro
prohibetur: sed omnia, iuxta constitutionem antiquam,
ad episcopi ordinationem & potestatem pertineant. Quod
si quaritur, quæ dicat Omnia, procul dubio decimas, pri-
mitias fructuum, & oblationes eorum, & ea quæ paro-

Lib. 1.
cap. 91.Concilium
Carthagi-
nense I.
Can. 14.

Lib. 6. c. 154.

Cap. 36.

chiis in terris, vineis, mancipiis, atque pecuniis, seu quibuslibet rebus, quæcumque fideles obtulerint. quæ omnia sub immunitate a tributis fiscalibus, & omni dominorum exactiōe libera, sub potestate & dispositione, vt diximus, episcoporum, ac regimine & dispensatione presbyterorum manere debent inconcussa. Hoc & dominus imperator Ludouicus de manso ad ecclesiam dato, & ceteris ad eam pertinentibus, in suo capitulari ita constituit. Sancitum est, inquit, vt vnique ecclesiæ vnus mansus integer absque seruitio aliquo attribuat, & presbyteri in eis constituti, non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis, vel hortis iuxta ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod seruitium faciant præter ecclesiasticum, & si aliquid amplius habuerint, inde senioribus suis debitum seruitium impendant. At contra quidam præsumunt distringere, & iniuriare, vel etiam expellere presbyteros de ecclesiis sibi commissis, vel expoliare decimis aut possessionibus, non timentes tot sanctorum contemnere statuta patrum, cum dicat Carthaginense Concilium: Si quis statuta supergressus corruerit, vel pro nihilo habenda putauerit, si laicus est, communionem, si clericus, honorem priuetur. Et in sæpe fato capitularium lib. VII. cap. CXXIX. Vt nullus iudex, neque presbyterum, neque diaconum, aut clericum, aut iuniorem ecclesiæ, sine conscientia pontificis per se distringat, aut condemnare præsumat: quod si fecerit, ab ecclesia, cui iniuriam fecit, quam irrogare dignoscitur, tamdiu sit sequestratus, donec reatum suum cognoscat & emendet. Item in eodem lib. cap. CLXV. Sancitum est, vt sine auctoritate vel consensu episcoporum presbyteri in quibuslibet ecclesiis nec constituentur, nec expellantur: & si quis deinceps hoc facere tentauerit, synodali sententia districte feriat. Et in II. lib. cap. XLVII. Vt ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis, nec vlla possessione priuentur. Hæc autem deducentes ad medium, nequaquam seniorum ab eis tollimus dominium, quasi ipsi nomen senioratus in rebus sibi a Deo concessis habere non debeant, aut non possint, sed potius ecclesiæ episcoporum esse debeant: designamus denique gubernationem episcopi, non nobis vindicamus potestatem Domini. Et quia

ANNO
 CHRISTI
 909.

mitis & humilis magistri discipuli sumus, presbyteris nostris humilitatis exempla & monita dare debemus: videlicet vt eis, in quorum ditione suæ consistunt ecclesie, congruum honorem & obsequium impendant debitum, id est, spiritale atque ecclesiasticum. & hoc sine vlllo typho, vel contentione, aut rebellionē. Saluo namque ministerii sui iure, debent se gratiosos exhibere senioribus, & parochianis suis, de quorum oblatione viuunt, & cum debita humilitate spiritalia eis obsequia ministrare, quæ gratis quidem agere deberent, etiam si nihil temporalis subsidii ab eis perciperent. Sciunt igitur presbyteri secundum Apostolum omnibus sua reddere debita, *cui honorem, honorem; cui timorem, timorem.* vt eis aptetur quod subiungitur: *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* Sed quoniam sunt nonnulli, qui ignorantes, imo contemnentes Dei iustitiam, suæ quærunt tenacitatis statuere iniustitiam, ausuque sacrilego surripiunt atque defraudant Deo debitam decimarum partem, ad suam ipsorum perniciem dicentes non se debere decimas dare de militia, de negotio, de artificio, de lanarum tonsione, & de ceteris quibuscumque sibi a Deo largitis commerciis: audiant non nostra, sed per sacras scripturas Dei de talibus mandata, & sancta sanctorum patrum exempla, atque cognoscant nos nequaquam, vt illi aiunt, nunc exigere noua, sed potius repetere Dei legibus instituta, & antiquorum patrum deuotione largita. Et primo omnium attendant, quia solius Dei causa oblationes & decimas suas sacerdotibus ^{* ipsi} Deo dare debeant: & quia eas dando fideliter, nihil Deo, qui bonorum nostrorum a se nobis collatorum non indiget, conferunt, sed ei sua reddunt; & pro paruis in presenti, maxima, & sibi in futurum profutura acquirunt. Scribitur in Leuitico: *Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur.* Item in eodem: *Omnes decimæ bouum & ouium, & omne quod transit sub virga, in numerum decimum quodcumque venerit, sacrificatum erit Domino. non mutabis illud bonum malo, neque malum bono.* In Deuteronomio: *In loco quem elegerit Dominus Deus vester, vt sit nomen eius in eo, illuc omnia quæ præcipio conferetis, holocausta & hostias, ac decimas, & primitias manuum vestrarum, & quidquid præcipuum est in muneribus quæ vouistis Domino.* Item in

Rom. 13.

Leuit. 27.

Id. 32.

Deut. 12.

* f. desst
 vt

Dent. 14.

eodem: *Decimam partem separabis de cunctis frugibus tuis, quæ nascuntur in terra per annos singulos: decimam frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita de armentis & ouibus tuis, ut discastimere Dominum Deus tuum.*

Num. 18.

In libro Numeri: *Omne medullam olei, ac vini, & frumenti, & quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi, id est Aaron, dedi. vniuersæ frugum primitiæ, quas gignit humus, & Domino deportantur, cedent in usus tuos. Omne quod ex voto reddiderint filii Israel, tuum erit.*

Ibidem.

In eodem: *Filiis Leui dedi omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio quo seruiunt mihi in tabernaculum fæderis.* Ecce audistis, cuius sint, & cui sacrificentur, & cui dari, scilicet Deo, decimæ debeant. Sed & quæ sibi dari præcipiat: scilicet non tantum omnes omnium quæ nascuntur in terra decimas, sed etiam vniuersas frugum quas gignit humus primitias, nec non & decimas bouum, ouium, & omnium armentorum, cum primogenitis eorum: manuum quoque vestrarum decimas, ac primitias, insuper & vota, atque munera. quæ omnia vobis offerre præcipit ad locum templi sui, ut cedant in usus sacerdotum pro ministerio quo seruiunt in tabernaculo Domini. Fortassis vero, dicit aliquis, Non sum agricola, non habeo vnde possim dare decimas fructuum terrenorum, vel etiam armentorum. Audiatur quicumque est ille, miles sit, negotiator sit, artifex sit: Ingenium, quo pascaris, Dei est, & ideo inde ei dare debes decimas. Nam de militia, audi quid in libro dicatur

Gen. 14.

Genesis de Abraham patriarcha, postquam reuersus est a cæde Chodorlahomor, & regum qui cum eo erant. Cum benedixisset eum Melchisedech sacerdos Dei altissimi, dicit scriptura, quia dedit ei Abraham decimas ex omnibus. Item in eodem libro legitur, quod beatus Iacob pergens in Mesopotamiam Syriæ ad Laban, cui pro mercede viginti seruiuit annis, sic loquutus sit: *Si Dominus, inquit, fuerit mecum in via per quam ambulo, & custodierit me, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestem ad induendum, reuersusque fuero prospere in domum patris mei, erit mihi Deus in Deum, & lapis iste quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi.*

Gen. 28.

De sancto quoque Tobia legitur, quia pergebat ad Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiua sua & decimas fideliter offerens. Ecce

Tob. 1.

habes,

ANNO
 CHRISTI
 909.

habes quæ imiteris sanctorum patrum exempla, qui de omnibus quæ habebant Deo decimas fideliter offerebant. Et quid hoc de laudabilibus proponimus patriarchis, cum audiamus dicentem in euangelio a Deo reprobatum pro tumore iactantiæ Pharisaum: *Decimas do omnium quæ possi-* Luc. 18.
deo: & ipsum Deum impropertem Scribis & Pharisaïs, Matth. 23.
quod prætereuntes mandata Dei decimarent etiam anethum & cyminum, & omne olus? Saltem pudeat nos Christianos, aut nolle, aut non posse in hac imitari parte Pharisaeos, cum audiamus ipsum sic comminantem nobis Christum: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum Matth. 5.
& Pharisaeorum, non intrabitis in regnum cælorum. & tamen hi decimas dabant omnium quæ possidebant. Sed forte adhuc inquires, pluribus enumeratis, nondum de tonsione lanarum aliquod diuinum nominatim protulisse præceptum. Nonne tibi posset sufficere quod dicitur, *ex omnibus?* Sed quia, quod dictu pudori est, ex hac etiam decimatione quidam causantur, audiant Dominum dicentem in Deuteronomio: *Hoc erit iudicium sacerdotum a populo,* Deut. 18.
& ab his qui offerunt victimas, siue bouem, siue ouem immolauerint, sacerdoti dabunt armum & ventriculum, primitias frumenti, vini, & olei, & lanarum partem ex ouium tonsione. Ipsum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus eius, ut stet & ministret nomini Domini. Adhuc autem & quod est amplius, hoc nescientibus innotescimus, scientibus ad memoriam reducimus, & ut ad hæc verbis beati papæ Gregorii vtamur, non tantum decimas rerum, sed etiam dare Deo debemus decimas dierum: quod fideles quique annuatim student agere tempore quadragesimæ. Et ne quid videatur prætermissum in exsoluendis Deo decimarum vel primitiarum debitis, nouerint cuncti quid etiam lex statuatur de cibis. Scriptum est in Deuteronomio: *Cum* Num. 15.
veneritis in terram quam dabo vobis, & comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias Domino de cibis vestris. sicut de areis primitias separabitis, ita & de pulmentis dabitis primitiua Domino. Et ne hæc omnia Deo largitori omnium bonorum offerenda, vel potius ex debito reddenda, quis quolibet modo, ne dicamus subtrahere audeat, vel fraudare, quin nec differre, audiat Deum sibi in Exodo dicentem: *Decimas tuas & primitias non tardabis offerre mihi.* Si igitur præ- Exod. 22.

Concil. Tom. 24.

B b b b b

uaricatio legis est tardius dare, quanto peius est hæc non dedisse? Ergo si secundum Domini imperium vobis præcepta deuote adimplere statueritis, promissa per prophetam Malachiam ab eo præmia vos percipere gaudebitis: *Inferre, inquit, omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam, & increpabo pro vobis denorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum, & beatos vos dicent omnes gentes.* Et iterum scriptura dicit: *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum, vt impleantur horrea tua frumento, & vino torcularia redundabunt.* En vides, quomodo tibi magis quam Deo tuæ proficiunt decimæ, quando eas citissime centuplicato recipis fœnore. Item dicit scriptura: *Dabunt singuli redemptionem animarum suarum, & non erunt in eis morbi, neque casus.* Ecce & cum abundantia fructuum corporis etiam consequeris sanitatem. Addimus adhuc, quia diuina adimplendo præcepta, cælestia promereri præmia, & violando illa, infernalibus tibi, vt pote præuariicator, acquiris tormenta, nisi Deo & ecclesiæ pœnitentia & emendatione satisfeceris congrua. Etenim quia denegamus Deo primitias rerum, idcirco iusto eius iudicio in nostris peruertimur primitiis, ipsique reuocamur ad decimam, cum denegatis nouem vix partem recipimus decimam. Ideo denique messis nostra pluuiarum benedictione subtracta ieiuna deficit, vindemiam aut grando percutit, aut pruina decoquit: & quia ex debito nolumus dare Deo, eiusque sacerdoti, ex non debito damus Paganis, & impio militi. His igitur diligenter perspectis, momento scriptura, Deum deuote honoremus in dandis omnium, quæ possidemus, rerum primitiis & decimis, vt ab ipso percipere mereamur & necessaria boni commoda temporalis, & æternæ præmia felicitatis.

VII.

Nunc de his agendum est, qui rapinis diuerso modo dediti, innocentibus insidias, vel damna, & mortes inferunt, domosque suas huiusmodi spoliis implent: qui comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt: quorum pedes incessanter ad malum currunt, & festinant vt ef-

ANNO
 CHRISTI
 909.

fundant sanguinem, vel ablata omni substantia fame interficiant innocentem, & dum vel alieno sanguini insidiantur, vel fraude sibi viuendum æstimant, vt Salomon dicit, *ipsi contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes* Prov. 1. *contra animas suas.* Contra sanguinem quippe suum faciunt, quia quasi fuerit iudex, qui iudicium in eos iustum exerat, temporali morte plectuntur: contra animas autem suas, quia æterna perditione damnabuntur, & qui ob philargyriam rapinis innocentum & cædibus inuigilant, semet hoc agentes perdunt. quos Dominus per Isaiam prophetam increpat dicens: *Vos depasti estis vineam meam*, id est, populum Isa. 3. Christianum: *rapina pauperum in domo vestra.* in domo scilicet mansionis, & in domo corporis, dum ex ea non tantum vosmetipfos vsque ad crapulam, sed & thesauros vestros repletis. Sed quid talibus imminet, per eundem prophetam Dominus non tacet: *Væ*, inquit, *impio in malum*, Ibidem. *retributio enim manuum fiet ei.* Itemque: *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis*, &c. Isa. 5. Horum, quod dictu dolendum est, infinitus est numerus, quique adeo rapinæ amorem imbiberunt, quasi licitum sit & pulcrum viuere rapto. Nec considerant miseri & miserandi homines, quot millia hominum innocentum perimant quotidie, non gladio, quod esset vtique leuius, sed durissima atque atrocissima famis morte. Et possunt miseri tot homicidiorum rei esse vel vna hora securi? Et certe esurienti non dare panem damnabile est, ipso Domino in extremo iudicio dicturo: *Esuriui, & non dedistis mihi* Matth. 25. *manducare*, &c. quibus subiunxit: *Ite maledicti in ignem æternum*, 35. & 41. *qui paratus est diabolo & angelis eius.* Hinc ergo colligendum, qua damnatione plectendi sint, qui aliena diripiunt, si tali animaduersione feriuntur, qui sua indiscrete & immisericorditer tenuerunt. Quam multiplex autem sit rapina, & quot modis agatur, Iob breuiter enumerat iniquiens: *Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges. asinum* Iob. 24. *pupillorum abegerunt, abstulerunt pro pignore bouem viduæ. subverterunt pauperum viam, oppresserunt pariter mansuetos terræ. agrum non suum demetunt, & vineam eius, quem vi oppresserunt, vindemiant. nudos dimittunt homines, vestimenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore. vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperum spoliauerunt. Nudis & incedentibus*

Concil. Tom. 24.

Bbbbb ij

absque vestitu, & esurientibus tulerunt spicas. De ciuitatibus fecerunt viros gemere, & anima vulneratorum clamabit, & Dominus inultum abire non patietur. De talibus per prophetam

Habac. 2.

dicitur: *Vae ei qui multiplicat non sua vsquequo, & aggrauat contra se densum lutum.* Densum lutum contra se aggrauare est, terrena lucra cum peccati pondere cumulare. Et in

Matth. 16.

euangelio Dominus ait: *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, anima autem suae detrimentum patiatur?* id est, quid prodest si totum quod extra se est congregat, si id quod ipse est damnat? Illa enim quae rapiunt in hoc saeculo dimittunt, sed secum ad iudicium causas rapinae & suam damnationem ferunt. Audiant raptores quid de eis vas electionis Paulus, qui ad tertium caelum raptus est, dixit:

1. Cor. 6.

Neque rapaces, inquit, regnum Dei possidebunt. Non ergo raptor, non praedo pauperum, regnum Dei possidebit, nisi perfectam egerit poenitentiam, & iniuste sublata reddiderit. Sunt enim quidam, qui poenitere quidem volunt, sed rapta reddere nolunt, pessimum certe hominum genus, cui poenitendi medicina omnino non prodest. Si enim res rapta cum reddi possit non redditur, non agitur poenitentia, sed fingitur. Hi enim, vt dicit sanctus Augustinus, scelus cupiunt sibi relaxari, & illud propter quod scelus admisum est possidere. Non ergo remittetur rapinae peccatum, nisi restituatur ablatum, sed cum restitui potest. plerumque enim qui aufert amittit, siue alios patiendo malos, siue ipse male viuendo, nec habet vnde restituat. Sciat ergo vnusquisque raptor, non sibi dimitti rapinae peccatum, nisi cum potest id quod rapuit restituat. Nam & Zachaeus publicanus, qui Dominum hospitio susceperat, in vitam sanctam repente mutatus, dixit: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Sic ergo vnusquisque raptor agat: restituat primum quod iniuste abstulit, si veram poenitentiam agere, & veram Dei misericordiam obtinere cupit. Si autem non habet vnde reddat, non possumus ei dicere, Redde quod abstulisti. Quamuis, etsi aliquos sustinet cruciatus, dum existimatur habere quod reddat, nulla est iniquitas: quia etsi non est vnde reddat ablatam pecuniam, merito tamen, dum eam per molestias corporales reddere compellitur, peccati quo male ablata est poenas luit. Ergo quia abf-

*Epist. 54. ad
Macedo-
nium.*

Luc. 19.

ANNO
CHRISTI
909.

que respectu timoris Dei innumerabiles rapinæ & depræ-
dationes in isto regno olim factæ sunt, & hæcenus fiunt, &
in oculis, & in auribus Domini exercituum sunt, idcirco
nunc vastitatem patimur, & sterilitatem, quam Dominus
quondam Israelitico populo comminabatur dicens: *Nisi* ^{Isa. 5.}
domus deserta fuerint grandes, & pulcræ absque habitatore. de-
cem iugera vinearum facient lagunculam vnam, &c. Et quo-
niam iusto iudicio Dei, exigente pœna nostri peccati, in
tantam deuenimus amentiam, vt nec eam qua verbera-
mur sentiamus, aut scire velimus correptionem, iure du-
plicem experimur captiuitatem, scilicet barbaricam, &
quod est grauius, dæmonicam, sicut Dominus testatur per
Isaiam prophetam: *Propterea, inquit, ductus est captiuus po-* ^{Isa. 5.}
pulus meus, quia non habuit scientiam: scientiam vtique diui-
num iudicium, vel suam correptionem intelligendi, vel
benefaciendi. & iterum: Propterea dilatauit infernus animam ^{Isa. 5.}
suam, & aperuit os suum absque villo termino: scilicet vt infatia-
bili ingluuie deuoret in perpetuum puniendos. Et descen-
dent fortes terræ, & populus & sublimes gloriosique eius ad eum.
Expergiscantur ergo tandem aliquando ad tantam toni-
trui magnitudinem: audiant Dominum per eundem pro-
phetam terribiliter comminantem: *Omnis, inquit, violenta* ^{Isa. 9.}
prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine erit in
combustionem, & cibus ignis. Omnis enim violenta iniquo-
rum prædatio, & tumultus, ac turbæ, quibus pauperes
quosque sibi inferiores oppresserunt, & sanguinem
sanguini miscuerunt, erit in combustionem gehennæ, &
cibus ignis æterni. Itemque per Psalmistam loquitur: *Pro-* ^{Psal. 11.}
pter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, di-
cit Dominus, id est iam iamque in proximo vindictam exer-
cebo. & iterum Isaias propheta dicit: Non despiciet Dominus ^{Ecc. 35.}
preces pupilli; nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Nonne
lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius su-
per deducentem eas? A maxilla enim ascendunt vsque ad cælum,
& Dominus exauditor non delectabitur in illis. Verum quia
hæc impietas non iam tantum in extraneos, sed in sua, vt
ita dicamus, sæuit viscera, & vnusquisque carnem brachii
sui vorat, timendum est ne talibus illud Apostoli contin-
gat: *Videte, inquit, ne dum inuicem mordetis & comeditis, ab* ^{Gal. 5.}
inuicem consumamini. qui enim seipsum comedit, cito deficit.

Pfal. 10.*Pfal.* 34.*Ecl.* 34.*Lib. 6. c. 31.**Lib. 6. c. 288.**Ibid. c. 289.**Lib. 1. c. 101.*

Nam cui dicit Psalmista: *Tibi, Domine, derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor. ipse eripiet inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem a diripientibus?* Sane statuta ecclesie antiquae praecipunt, eorum qui pauperes opprimunt dona a sacerdotibus esse refutanda: & merito, cum sint apud Dominum abominabilia, testante super hoc scriptura: *Qui offert, inquit, sacrificium de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris.* De ditibus quoque, & potentibus, qui pauperes opprimunt, in libro VI. capitularium capitulo CCCXVIII. sic continetur: *Vt iudices, aut potentes, qui pauperes opprimunt, si admoniti a pontifice suo se non emendauerint, excommunicentur. Et ipsi quidem, nisi condignam de talibus gesserint poenitentiam, sicut beatus testatur Paulus de rapacibus, regnum Dei non possidebunt. Ceterum regalis potestas tales punire debet secundum antiquorum regum sanctiones de his prolatas qui infra regnum rapinam fecerint, vel apud quem scelus agnoscitur, & pars rapinae inuenta fuerit, siue de eis qui diripienda indicare reperiuntur. Inter quae, de eo qui facultatem depradationis dederit, vel si quis factam diuiserit, praecipitur libro VI. capitularium capite CCCXXIV. vt viuus comburatur. Itemque capitale supplicium excipiat, qui violentiam commisisse dinoscitur.*

VIII.

Est praeterea quaedam execrabilis species rapinae, vel potius sacrilegii, quam ex ipso actu rustici raptum vocant, quod quantum sit malum, & non tantum diuina, sed humana quoque auctoritate damnatum paucis monstrabimus verbis, ad cautelam omnium Christianorum nobis commissorum. Ac primo de puellis raptis, ac necdum desponsatis, quid sacri Canones praecipiant, retexere duximus necessarium. In Concilio Calchedonenfi vbi DCXXX. patres adfuerunt, capite XXVII. ita habetur: *Eos qui rapiunt puellas sub nomine simul habitandi, cooperantes, & coniuuantes raptoribus, decreuit sancta Synodus, si quidem clerici sunt, decidant gradu proprio, si vero laici, anathematizentur. Quibus verbis aperte datur intelligi, qualiter huius mali auctores damnandi sint, quando participes & coniuuantes tanto anathemate feriuntur: & quod iuxta canonicam auctoritatem ad coniugia legitima*

ANNO
CHRISTI
909.

ANNO
 CHRISTI
 909.

raptas sibi iure vindicare nullatenus possunt. De desponsatis vero puellis, & ab aliis raptis, ita in Concilio Ancyrano capite x. legitur: Desponsatas puellas, & post ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi quibus ante fuerant desponsatae, etiam si eis a raptoribus vis illata constiterit. Proinde statutum est a sancto Conuentu, vt raptor publica poenitentia mulctetur: raptæ vero, si sponfus eam recipere noluerit, & ipsa eiusdem criminis consentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur. Quod si & illa consentit, simili sententiæ subiaceat. Quod si post hæc ei se iungere præsumperit, vtrique anathematizentur. Quid autem lex imperatorum de huiuscemodi raptoribus iubeat, in libro v. capite cccxxxix. scire volens reperiet. Item in libro vii. capite cccxlvii. de raptoribus viduarum vel virginum ita decernitur: Sancitum est, vt raptores viduarum vel virginum ab ecclesiæ communionem pellantur. Item, de his qui rapiunt feminas, vt eas non habeant vxores, & quid de raptis agendum sit, ex eodem libro capite cccxcv. Placuit, vt hi qui rapiunt feminas, vel furantur, aut seducunt, vt eas nullatenus habeant vxores, quamuis eis postmodum conueniat, & eas dotauerint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint. Si quis autem vxorem habere voluerit, canonicè & legaliter eam accipiat, & non rapiat. Qui vero eam rapuerit, vel furatus fuerit, aut seduxerit, nunquam eam vxorem habeat, sed propinquis suis eam legibus reddat, & in triplo bannum dominicum componat, & insuper canonicè publicam poenitentiam gerat. ad quod omnes vna voce clamauerunt, dicentes: Ista omnes tenere firmiter volumus, & in perpetuum ab omnibus conseruari optamus. Ergo decernimus & nos, secundum constitutionem antiquam, vt nullus occultas nuptias aut raptum faciat, vel quam propinquus habuit ducat vxorem: sed dotatam, & a parentibus traditam, per benedictionem sacerdotum accipiat qui vult vxorem, sicut in libro supradicto capite cclxxxix. monetur his verbis: Sancitum est, vt publicæ nuptiæ ab his qui nubere cupiunt fiant: quia sæpe in nuptiis clam factis grauia peccata, tam in sponsis aliorum, quam in propinquis siue adulterinis coniugiis, & quod peius est dicere, consanguineis, accrescunt vel accumu-

Conc. Ancyran. Can. 10.

Lib. 7. c. 117.

lantur. Ex his autem procreari solent cæci, claudi, gibbi, & lippi, siue alii turpibus maculis aspersi. & hoc ne deinceps fiat omnibus cauendum est. Sed prius conueniendus est sacerdos, in cuius parochia nuptiæ fieri debent, in ecclesia coram omni populo: & ibi inquirere vna cum populo ipse sacerdos debet, si eius propinqua sit, an non, aut alterius vxor, vel sponsa, vel adultera. Et si licita & honesta pariter omnia inuenerit, tunc per consilium & benedictionem sacerdotis, & consultu aliorum hominum bonorum, eam sponsare, & legitime dotare debet. Scribit namque de legitimo matrimonio beatus Augustinus ita: Talis esse debet quæ vxor habenda est, vt secundum legem sit casta in virginitate, & dotata legitime, & a parentibus tradita sponso, & a paranymphis accipienda, & ita secundum legem & euangelium publicis nuptiis honestata, in coniugio licite sumenda, & omnibus diebus vitæ suæ, nisi ex consensu & causa vacandi Deo, nunquam propter hominem separanda. & si fornicata fuerit, & vir eius voluerit, dimittenda: sed illa viuente altera non ducenda, quia adulteri regnum Dei non possidebunt: & pœnitentia illi accipienda. Nolite vos viri habere vxores, quarum priores mariti viuunt: adulterina enim sunt ista coniugia. Et hoc, vt diximus, omnino prouidendum est, ne eius sit propinqua, quia scriptum est: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius.* Similiter scriptum est: *Cum vxore proximi tui non coibis, nec seminis eius commixtione maculaberis.* Et in decretalibus papæ Gregorii legitur: Si quis diaconam, aut monacham, aut commatrem spiritualem, aut fratris vxorem, aut neptem, aut nouercam, aut nurum suam, aut consobrinam, aut de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit vxorem, anathema sit: & responderunt omnes tertio, anathema sit. Item: Si quis viduam rapuerit vel furatus fuerit vxorem, vel consentientes ei, anathema sit. Et si quis virginem, nisi desponsauerit eam, rapuerit vel furatus fuerit, vel consentientes ei, anathema sit: & responderunt omnes tertio, anathema sit. Et alibi in Canonibus præceptum est, vt nemo vsque ad affinitatis lineam, & propinquitatem sui sanguinis, connubia ducat, neque virginibus, sine benedictione sacerdotis, quis nubere præsumat.

Leuis. 18.

Ibidem.

Greg. II. in
Synodo
Romana I.

ANNO
 CHRISTI
 909.

mat. oppido enim ista cauenda sunt ne fiant. Sed post-
 quam ista omnia probata fuerint, & nihil impederint,
 tunc si virgo fuerit, cum benedictione sacerdotis, sicut in
 sacramentario continetur, & cum consilio multorum bo-
 norum hominum, publice & non occulte ducenda est
 vxor, vt boni ab his filii Domino miserante procreentur,
 & non tales sicut superius dictum est. Item in VI. libro ca-
 pitulo ccccix. Si quis non æquo gradu, sed incestuoso
 ordine, cum iis personis, quibus a diuinis regulis prohibi-
 tum est, se coniunxerit, vsquequo post pœnitentiam seque-
 stratione testentur, vtrique communionem priuentur: & ne-
 que in palatio habere militiam, neque in foro agendarum
 causarum licentiam habebunt. Nam si se quoquo modo
 prædicto incesto coniunxerint, episcopi, seu presbyteri,
 in quorum diœcesi vel pago actum fuerit, regi vel iudici-
 bus scelus perpetratum denuntient, vt cum ipsis denuncia-
 tum fuerit, ab eorum communionem aut cohabitationem se-
 questrentur. Res autem eorum ad primos parentes, vsque
 ad sequestrationem, perueniant sub ea conditione, vt an-
 tequam segregentur, per nullum ingenium, neque per pa-
 rentes, neque per emptionem, neque per auctoritatem
 regiam, ad proprias perueniant facultates, nisi præfatum
 scelus sequestrationis separationem & pœnitentiam fateantur.
 Item ex libro legum Theodosii III. capite XII. Quod ince-
 sti non sint legitimi heredes, sed infamia sint notata vtra-
 que personæ. Quapropter iterum iterumque auctori-
 tate ecclesiastica interdiximus, vt deinceps, sicut Canones
 ecclesiastici prohibent, nullus Deo deuotam virginem,
 nullus sub religionis habitu consistentem, siue viduitatis
 continentiam professam, vel sui proximam generis, aut
 etiam de cuius admixtione incestiua notam possit subire
 infamiæ, illicito connubio, aut vi, aut consensu acci-
 piat coniugem: quia nec verum poterit esse coniugium,
 quod a meliori proposito deducitur ad deterius, & sub
 falsi nominis culpa, incestiua pollutione & fornicationis
 immunditia perpetratur. Hoc vero nefas si agere cuiuslibet
 gentis a modo homines sexus vtriusque tentauerint, ab
 inuicem omnimodis separati exilio perpetuo relegentur.
 Item in libro VI. capite ccccxi. Scire vos conuenit,
 quia blasphemiam Deo irrogat, qui cum Deo sacrata, vel

Lib. 6. c.
 306.

Codex
 Theod.
 li. III. t.
 XII.

Lib. 6. c.
 309.

Concil. Tom. 24.

Ccccc

Ibid. c. 310.

cum velata femina se commaculat. Item capite cccc xiii.

ANNO
CHRISTE
909.

Si clericus cum velata femina, vel cum Deo sacra se maculauerit, proprio honore priuetur. Item capite cccc xiiii.

Ibid. c. 311.

Sciendum est omnibus, quod Deo sacrarum feminarum corpora per votum propriæ sponsonis, & verba sacerdotis Deo consecrata, templa esse scripturarum testimoniis comprobantur: & ideo violatores earum sacrilegi, ac iuxta Apostolum filii perditionis esse noscuntur.

1. Cor. 3.

IX.

Sane quoniam hæc pestis non tantum populares quoslibet, siue superioris, siue inferioris ordinis, occupat homines, verum, quod non sine nostro pudore, & cum maximo fatemur dolore, ecclesiasticas commaculat dignitates: in tantum vt ipsi quoque sacerdotes, qui ab aliis debuerant huius putredinem morbi refecare, computrescant in stercore luxuriæ: nec sua solum ignominiosa contenti perditione, bonorum etiam sacerdotum vitam sua lædant infami opinione, dum a secularibus dicitur, Tales sunt sacerdotes ecclesiæ: & sic dantes aliis offensionem vituperant ministerium sanctum, insuper & canonica sanctorum statuta violant patrum, quibus interdicitur cum feminis accessus & frequentatio ac cohabitatio clericorum: cogimur & priorum quædam commemorare decreta patrum, & contra noua recrudescentium semper generum morborum noua quærere experimenta medicamentorum. Vnde nunc ea retexemus, quæ de talibus a bonæ memoriæ prædecessore nostro Hincmaro præfule, in conuentu presbyterorum in metropoli ciuitate Rhemorum habito, dicto & scripto prolata sunt anno ab incarnatione Domini DCCCLII. hoc modo: De accessu autem & frequentatione ac cohabitatione clericorum cum feminis, vnde secundum sacros Canones in omnibus Synodis specialiter interdiximus, firmiter & expresse atque sollicitè a nobis & a comministris nostris est inquirendum. Sicut enim his qui Domini in carne aduentum præcesserunt, & his qui subsequuntur, pro temporum ratione sunt sacramenta disparia, ad religionem tamen vnius eiusdemque fidei & salutis recurrentia, &, vt scriptum est, *pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia*, per incrementa temporum, tam per seipsum, quam & per angelos in veteri

Hincmarus
ad presbyteros, cap.
21.

Dan. 12.

ANNO
CHRISTI
909.

testamento, in nouo autem similiter per se, & per doctores catholicos ac magistros ecclesie, qui & attestante propheta angeli nominantur, aucta est sublimitas & multiplicatio preceptorum. Per se quidem Dominus in paradiso Adæ, & post diluuium Noe mandata, & Abrahæ de circumcissione dedit preceptum, legem autem per angelos Moyfi mediatori inter se & populum, vt ostendit Apostolus. In nouo autem testamento incarnatus per se dicens: *Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. & Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum celorum. & Dictum est antiquis, Qui occiderit, reus erit iudicio. &c. & per sanctos suos, de quibus dictum est: Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Per incrementa temporum virtutem castitatis excrefcere, maxime autem apud ministros ecclesie docuit, decernens hoc modo per mysticam Nicænam Synodum: Interdixit per omnia magna Synodus, non episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est, licere subintroducendam habere mulierem, nisi forte matrem, aut sororem, aut amatam, vel eas tantum personas, quæ suspiciones effugiunt. Et inde lex a Christianis imperatoribus est promulgata hoc modo: Quicumque clericatus vtuntur officio, extranearum mulierum familiaritatem habere prohibentur: matrum, sororum, vel filiarum sibi solatia intra domum suam nouerint tantum esse concessa. Sed quia sub occasione istarum personarum aliæ mulieres subintroduci cœperunt, sancti Africani Canones decreuerunt, vt nec ipsi episcopi, aut presbyteri, soli habeant accessum ad viduas vel virgines, vel ad quascumque feminas: sed vbi aut clerici presentes sint, aut graues aliqui Christiani. Vnde, sicut beatus Gregorius ad ministros ecclesie Romanæ scripsit, beatus Augustinus nec cum sorore habitare consenserit, dicens: Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. Et ex hoc dicit sanctus Gregorius: Docti ergo viri cautela magna nobis debet esse instructio. nam inhonestæ præsumptionis est, quod fortis pauet, minus validum non timere. Sapienter enim illicita subtrahit, qui didicerit etiam non vt concessis. Et quoniam tunc temporis, nouella

Malach. 2.

Matth. 5.

Ibidem.

Ibidem.

Matth. 10.

Conc. Nicæan. Can. 3.

Codex Theod. de episc. eccl. & clericis. l. 44.

Concilium Afric. Can. 3.

Gregor. lib. 7. indict. 2. epist. 39.

Concil. Tom. 24.

Ccccc ij

1. Tim. 3.
Tit. 1.Novella In-
stiniani 12.
c. 29.Innocent.
epist. 2. ad
Victricium.

1. Cor. 7.

Tit. 1.

1. Cor. 1.

Rom. 12.

adhuc fide, de legitime coniugatis, atque a coniugio ad continentiam conuersis, clerici fiebant, vnde & Apostolus, si de coniugatis agendum erat, vnus vxoris virum ad summum sacerdotium præcipit eligi: hinc Christiani imperatores legem decreuerunt, dicentes: Presbyteris, & diaconis, & subdiaconis, & aliis in clero scriptis, non habentibus vxores, secundum regulas diuinas interdiximus & nos, mulierem habere in sua domo, excepta matre, & filia, & sorore, & aliis personis, quæ omnem querelam effugiunt. Si quis autem aduersus istam obseruationem mulierem in sua domo habuerit, quæ potest suspicionem inferre turpitudinis, & ille a conclericis suis audierit quod cum tali muliere non debeat habitare, & noluerit eam sua domo repellere, vel accusatore emergente probatus fuerit inhoneste cum tali muliere versari, tunc episcopus, secundum ecclesiasticos Canones, clero eum repellat, curiæ ciuitatis, cuius clericus est, tradendum. Et vt sanctus Innocentius, & prædecessor eius Siricius scribunt, si priscis temporibus sacerdotes Dei de templo anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus vtique propter sobolis successionem vxoris vsus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, & præter ex semine Aaron, ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere, quanto magis hi sacerdotes vel Leuitæ pudicitiam seruare debent, quibus vel sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis diuinis, vel a baptismatis officio vacent? Nam si Paulus etiam laicis scribit dicens: *Abstinete ad tempus, vt vacetis orationi*, multo magis sacerdotes quibus orandi & sacrificandi iuge officium est, semper debent ab eiusmodi consortio abstinere. Qui si contaminatus fuerit a carnali concupiscentia, quo pudore vel sacrificare forsitan vsurpabit? aut qua conscientia, quove merito exaudiri se credit, cum dictum sit: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum?* Et ne quis dicat, Si habito cum mulieribus, sufficit mihi conscientia mea dicente Apostolo: *Gloria mea hæc, testimonium conscientie nostræ*, attendat quod item idem dicit Apostolus, per quem, vt ipse fatetur, veraciter loquitur Christus: *Providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram homi-*

ANNO
CHRISTI
999.

nibus. Quoniam, Augustino docente, sanctorum, quibus Dominus dicit *sancti estote*, conuersatio non solum sancta, sed debet esse & cauta: ne forte cum mala non sit per lasciuiam, sit mala per negligentiam. Et item Apostolus præcipit: *Vt sine offensione omnibus simus, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, & ne pereat in nostra conscientia frater, propter quem Christus mortuus est. Sic, inquit, peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Et ideo repleti Spiritu sancto statuerunt sancti patres nostri, ut ministri altaris mulieribus non cohabitent, neque subintroducant secum mulieres: ne vel concupiscentia conscientiam vrant, vel consensu pessimo polluant, & ne vel mala suspicione infirmorum conscientias maculent. Proinde de concubitu presbyterorum cum feminis, per parochianos, vel vicinos cuiuscumque presbyteri, inquirere non laboramus. Abolita est quippe vetus hæresis, quæ Cynica, id est canina, propter impudicitiam fuerat appellata, dicens concubitum esse naturalem, & ob id agendum sine verecundia publice, cum legamus primos homines post peccatum inobedienciæ sensisse concupiscentiam in membris genitalibus, & a mutuis conspectibus contexisse. Nam licet humanæ mentis cæcitas in operatione turpitudinis, diuinis & angelicis atque sanctorum qui in cælis sunt oculis abscondi non possit: tamen etiam quilibet rusticanus concumbens & cum propria coniuge, prout potest plurimorum deuitat aspectus: quanto magis presbyter, si sensum hominis habet, malum agens curabit abscondere, propter quod patefactum scit se non solum ecclesiasticum gradum amittere, sed & sua quælibet in sæculo perdere? Non igitur de hoc inuerecunde quærimus, quod & Apostolus non nudo, sed velato nomine, loquens apud legitime conjugatos, statuit appellare dicens: *Iterum reuertimini in id ipsum. &: Ne quis circumueniat in negotio fratrem suum.* tantummodo autem de accessu & frequentatione ac cohabitatione presbyterorum contra canonicum interdictum cum feminis, per tales homines inquiremus, sicut sancti Africani Canones iubent, id est, quos publicæ leges ad accusationem, vel ad testimonium recipiunt, siue in mallo, siue in audientia. Qui testes, ad exemplum Danielis, & sicut leges præcipiunt, examina-

1. Cor. 10.

2. Cor. 6.

1. Cor. 8.

1. Cor. 7.

1. Tim. 4.

Concilium

Africanum

Can. 96. 98.

2. Thess. 3.

Leo epist.
1. Episcopis
per Campa-
niam.August.
Epist. 256.

buntur. Et si quis cumque presbyter, non solum in nostra parochia, sed in nostra diocesi, confessus, vel legali ac regulari iudicio fuerit conuictus de cohabitatione, vel frequentatione, siue accessu cum feminis contra Canones, dicente Apostolo: *Si quis non obedierit verbo nostro, siue per verbum, siue per epistolam, hunc notate, & nolite commisceri cum eo*, modis omnibus, secundum decreta beati Gregorii, sine gradus sui restitutione deponetur, iuxta capitulum magni Leonis papæ quo dicit: Hæc itaque admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, a suo se nouerit officio submouendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Ne quid vero sit, quod prætermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam deinceps sibi nouerit denegari. Nam & beatus Augustinus suo archiepiscopo de Abundantio presbytero suæ parochiæ ita scripsit: *Qui cum non ambularet vias seruorum Dei, non bonam famam habere cœpit. qua ego conterritus, non tamen temere aliquid credens, sed plane sollicitior factus, operam dedi, si quomodo possem ad aliqua malæ conuersationis eius certa peruenire indicia. Ac primo comperi eum pecuniam cuiusdam rusticani de vino apud se commendato interuertisse, ita vt nullam inde posset probabilem rationem reddere. Deinde conuictus, atque confessus est, cum secum nullum clericum haberet, apud quamdam malæ famæ mulierem prandisse & cœnasse, & in vicinia, & in eadem domo mansisse. Nam quæ negauit, Deo dimisi: quæ occultare permissus non est, iudicauit. Propterea, sicut Gregorius decreuit, per idoneos, vt præmissimus, testes sacramento inquireretur de malæ famæ presbytero: & qui proinde iurabunt, hoc modo iurent: De hoc quod me interrogatis de isto presbytero quid inde sciam, me sciente nec mendacium tibi dicam, nec veritatem reticebo, sic me Deus adiuuet, & isti sancti Dei. Post istud sacramentum, interrogari debet hoc modo:*

ANNO
CHRISTE
909.

Sancti Canones præcipiunt, vt presbyter talem accessum & frequentationem ac cohabitationem cum feminis non habeat, vnde mala suspicio, & inconueniens sacerdoti fama possit exire. Propterea dic mihi, si vidisti, aut pro certo scis, talem accessum vel frequentiam aut cohabitationem habere feminas cum isto presbytero, vnde mala suspicio esse possit, & mala fama possit exire, in illo sacramento quod modo iurasti, vt veritatem inde non reticeas, & mendacium inde non dicas. Exceptis accusatoribus, septem sint testes idonei, qui inde veritatem per sacramentum dicant, ex quibus sex iurent, & septimus, si conditio vel qualitas personæ permittit, ad iudicium exeat quod illi sex veritatem inde per sacramentum dixerunt: quia multi iam deprehensi apud nos habentur, quoniam precio conducti se periurauerunt. Et si hoc modo presbyter conuictus fuerit de inconuenienti cohabitatione cum feminis, deponetur, sicut Zosimus papa decreuit dicens: Epist. ad Hefychium cap. 2. Sciatis quisquis hoc postposita patrum & apostolicæ sedis auctoritate, neglexerit, a nobis districtius vindicandum, vt loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc purat post tot prohibitiones impune posse tentari. Contumeliæ enim studio fit, quidquid interdictum toties vsurpatur. In lege est statutum, quod & in euangelio est Matth. 18. confirmatum, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: & Apostolus Timotheo præcipit, in cuius persona, vt Leo dicit, omnium Christi sacerdotum numerum erudiuit, vt accusatio aduersus presbyterum non recipiatur, nisi sub duobus vel tribus testibus. Et sacrum Nicæanum Concilium, neophytum episcopum a duobus vel tribus testibus redargutum a clero abstinere præcipit. Conc. Nic. Can. 2. Sed quia in historia Susannæ duo testes, qui idonei videbantur: & in historia Nabuthæ, verum & in historia passionis Domini duo testes dixisse falsum testimonium legimus: Dan. 13. 3. Reg. 11. Matth. 26. quoniam Christus Dei virtus & Dei sapientia dicit: Per Fron. 9. *Per conditores legum iusta decernunt*, &c. & sanctus Gregorius frequenter in epistolis suis causam ministrorum ecclesiasticorum legaliter & regulariter præcipit definiri: & sanctus Augustinus exponens sententiam Apostoli, In libro de penitentia. 1. Cor. 5. *Si quis frater nominatur fornicator*, &c. dicit: Noluisset Apostolus hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel

etiam extraordinario vsurpato iudicio, sed potius ex lege Dei, secundum ordinem ecclesie, siue vltro confessum, siue accusatum, atque conuictum: eam nominationem volens intelligi, qua fit in quemquam, cum sententia ordine iudiciario, atque cum integritate profertur. Nam si nominatio sola sufficit, multi damnandi sunt innocentes: quia saepe falso in quoquam crimen nominatur. In accusatione presbyterorum, de numero testium idoneorum auctoritatem legum sequendam vidimus, vt septem scilicet testes idonei, vt supra diximus, requirantur. & si ratio vel causa coegerit, quatuordecim vel viginti & vnus testes quaerantur, vt veritas patefacta monstretur. Si autem mala fama ex verisimilitudine per parochiam de presbytero exierit, & accusatores atque testes legales defuerint, ne infirmorum corda de mala fama presbyteri percutiantur, & ne vituperetur ministerium nostrum, neque securiores presbyteri existentes licentius in peccatum labantur, secundum decretum Gregorii iunioris sit iusiurandum in medio, & habeat mala fama presbyter in sacramento purificationis suae eum testem, quem habebit & iudicem. Et quoniam legimus in epistolis beati Gregorii saepe infamatum sacerdotem in purificatione suae fama tantum iusiurandum praebuisse, & legalis, atque apostolica, & canonica auctoritas trium testium testimonium recipit ad condemnationem, non ab re videtur si recipiatur ad purificationem. In historia quoque sacra, & in epistola B. Gregorii, legimus B. Petrum apostolorum primum, cum a fidelibus reprehensus fuit, cur ad gentes intrasset, humili eos ratione placasse, atque in causa reprehensionis suae etiam testes adhibuisse dicens: *Venerunt autem mecum & sex fratres isti.* & Carthaginenses Canones decernunt, vt si presbyteri vel diaconi fuerint accusati, adiuncto sibi ex vicinis locis proprius episcopus legitimo numero collegarum, id est, vna secum in presbyteri nomine sex, in diaconi tres ipsorum causam discutiant. auctoritati conuenire dicimus, vt si presbyter infamatus fuerit, & accusatores vel testes idonei defuerint, secundum qualitatem ac quantitatem causae atque personae, & vtilitatem ac sanationem cordium infirmorum, aut singulis, aut cum aliis duobus testibus, aut cum aliis sex testibus, seipsum sacramento a mala opinione pur-

Hincmarus
ibid. c. 23.

Gregor. II.
epist. 9.

Cap. 24.

Añ. n.
Concilium
Carthagi-
nense Can.
20.

ANNO
 CHRISTI
 909.

purget. Et non est contrarium decretum Gregorii iunioris, si plures testes ad purgationem infamati presbyteri requiruntur: quia scribens idem pontifex ad Bonifacium Moguntinum episcopum per Denualdum presbyterum dicit, vt si probari idoneis testibus presbyter infamatus nequiverit, sit iusiurandum in medio: & non definiuit, vtrum ipse solus an cum aliis iuret. Et quoniam, vt scriptum est, & in angelis reperta est nequitia, & teste Malachia propheta, atque euangelista Ioanne, sacerdotes angeli appellantur, & experti sumus quosdam ad inuicem conspirasse, vt se mutuo in sua purgatione adiuuarent, sed reuera nocerent, sicut & presbyteri pleni iniqua cogitatione aduersus Susannam conspirauerunt non incongruum videtur, vt cum credibili misso episcopi presbyteri, qui in purgatione infamati sacerdotis, & vna cum eo, ad iusiurandum se obtulerint, talem examinationem per aduocatum infamati presbyteri recipiant, vt in sacramento se Deo non perdant, sicut quosdam hinc iam reuictos comperimus. Quia vero, vt sanctus Augustinus dicit, noua morborum genera noua querere cogunt experimenta: hæc præfatis auctoribus instructi, non præiudicantes, si quæ sunt, sanius intelligentium sententiis, hoc modo agenda vidimus, quatenus & presbyteros a luxuriæ præcipitio reuocare, & toties repetitam Canonum prohibitionem a præuaricatoribus quoquo modo possimus euindicare, & nos de dissoluta correptione non iudicemur, sicut Heli sacerdos damnatus est, quia filios suos segnius ac leuius quam debuerat corripuerat, & ipse & filii eius perierunt. Quia, vt Leo dicit, inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentisque rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam. Et sanctus Gregorius dicit: Qui non corrigit ressecanda, committit. Et item Leo scribens ad Ianuarium episcopum, singulis nobis dicit: Non autem dubitet dilectio tua, nos si, quod non arbitramur, neglecta fuerint quæ pro custodia Canonum, & pro fidei integritate decernimus, vehementius commouendos. Quia vt Hilarus papa dicit: Non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in ipsius Domini iniuriam profilitur. Qualiter autem

Cap. 25.

Iob. 4.
 Malach. 2.
 Apoc. 1.

Dan. 15.

Cap. 26.

1. Reg. 2.

Epist. 3. ad
 Ianuarium.

Ibidem.

his agendum sit, qui per contemptum in sanctarum traditionum sanctiones delinquant, vel in ipsius Domini iniuriam profiliunt, sanctus Leo ad Rusticum episcopum decernit huiusmodi inquiring: Lapsis ad promerendam misericordiam Dei priuata est expetenda secessio, vbi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. A qua districtio- nis regula Spiritu sancto promulgata non licet nobis quacumque pietate indebita declinare: quia etsi debetur compassio proximis, reſtitudo tamen debetur vitiis. Vnde sancta scriptura simplicitati reſtitudinem semper coniungit, quia simplicitas sine reſtitudine fatuitas est. Simplicitas igitur erga vitia, sicut catholici doctores dicunt, dissoluta & stulta est, & reſtitudo erga proximos, sine pietatis simplicitate, austeram existit & dura.

X.

Omni fidelium ordini denuntiamus, cauendos esse sum-
mopere libidinis actus, Domino per euangelium præci-
piente: *Sint lumbi vestri præcinſti.* Denique cum oporteat
nos contra reliqua vitia omni virtute resistere, contra
libidinem non tam expedit repugnare, quam fugere. Vnde
1. Cor. 6. & apostolus Paulus præcipit dicens: *Fugite fornicatio-
nem. omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est:
Hebr. 13. qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. & iterum: For-
nicatores & adulteros indicabit Deus.* & cum idem dicat
1. Cor. 3. Apostolus: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos,* item-
que: *Empti estis precio magno: glorificate & portate Deum in
1. Cor. 6. corpore vestro.* absit vt breui oblectatione miseræ carnis tol-
lentes membra Christi, faciamus ea membra meretricis.
Luxuria nempe carnis, cum Deo sit odibilis, ideo bonis om-
nibus est notabilis, quoniam statim per seipsam est turpis.
Cuius prima tela sunt oculorum, secunda verborum. sed
qui non rapitur oculis, potest resistere verbis, & qui dele-
ctationem refrenat libidinosæ suggestionis, non transit ad
consensum libidinis. Conualeſcit vero luxuria epulis, exar-
descit saturitate nimia ventris, perfodit animam stimulo
ebrietatis. Inter delicias namq; pudicitia seruetur difficile.
Denique saturitas cibi & potus mentem ad lusum, carnem
mouet ad luxum. Nec ideo tamquam sint delicia potentum,
minor debet esse cautela pauperum: quoniam & in
serico, & in pannis, exercet libido ius suæ potestatis: nec

ANNO
 CHRISTI
 909.

timet purpuram regum, nec spernit squalorem mendicantium. Hæc, cum vitam animæ perimat, & cor auferat, cæcitatem quoque menti ingerit, ipsum etiam corpus cito debilitat, fractumque in miseram celeriter senectutem præcipitat. & nisi solius Dei miserantis pietas manum benignissimæ extendens clementiæ iacentem subleuet, & antequam mors veniat, respiscere faciat, in infernum hominem mergit, & in pœnas Tartari pertrahit. Væ denique illi, qui tunc habuerit terminum luxuriæ, quando & vitæ. Idcirco nobis necessarium omnimodis est obtemperare salubri consilio scripturæ monentis: *Post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua auertere.* & iterum: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem & immunditiam, & concupiscentiam malam, &c.* Hoc omni gradui, omni ordini, & vtrique obtestamur sexui, putridam prorsus fugere luxuriam, & succinctis lumbis castitatis tenere virtutem: scientes pro certo verissimam esse vocem apostolicam, quæ inter cetera terribiliter clamat: *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.*

XI.

Inter cetera quoque admonitionis nostræ officia videtur nobis illud satis necessarium esse, quatenus nefanda cohibeantur periuria, non solum quæ alicuius factionis fiunt commento, vel fallendi aliosque decipiendi studio, sed & ea, quæ ex ipsa praua consuetudine iam veluti inolita pene per singula admittuntur verba ab eis, quibus æque falsa constat iurare vt vera. Cum, si forte propter eos, qui pigri sunt ad credendum, neque mouentur ad fidem verbi, qui & in hoc grauius delinquunt quod sibi loquentes iurare cogunt, necesse fuerit proferre iusiurandum, hos comites habere debeat iusiurandum, veritatem, iudicium, & iustitiam, dicente Domino per prophetam Ieremiam: *Et iurabis, viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia.* Si enim ista defuerint, nequaquam erit iuramentum, sed periurium. Et vetus quidem lex iurare concessit, peierare prohibuit: *Non assumes, inquit, nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim infontem habebit Dominus eum, qui assumpsit nomen Domini Dei sui frustra.* Quo mandato altius intellecto, dum sciamus nobis præcipi, ne Christum Dei

Patris Filium existimemus esse creaturam, dicentes eum simplicem hominem, & honore diuinitatis priuantes: ad simplicem tamen sensum, ille nomen Dei sui in vanum affumit, qui in qualibet friuola re, & in dolo iurans proximo suo, aliquando in causa non necessaria, vel in verbo otioso, nomen sanctum eius in tali vanitate assumere non pauescit. In nouo autem testamento ipse Dominus dicit: *Audistis quia dictum est antiquis, Non periurabis. Ego autem dico vobis, non iurare omnino*, &c. Ergo euangelica veritas non recipit iuramentum, cum omnis sermo fidelis pro iureiurando sit. Sunt quoque multi qui assidue faciunt iurare, sed & non timent peierare, per Deum, & omnes sanctos: quidam per corpora sanctorum, per animam vel suam, vel patris aut matris, aut alicuius cari sui, paruipendentes suam ipsius animam, suorumque salutem. quidam per totum iurant mundum, contemnentes illud dominicum preceptum: *Nolite iurare, neque per caelum, neque per terram*, &c. qui enim iurat in caelo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum. Qui vult ergo cauere crimen periurii, non teneat usum iurandi, dicente scriptura: *Iurationi non assuescat os tuum.* & item: *Vir multum iurans replebitur iniquitate, & non discedet a domo illius plaga.* Vnde Isidorus episcopus dicit: Sicut mentiri non potest qui non loquitur, sic periurare non poterit, qui iurare non appetit. Nunquam ergo iuret, qui peccare timet. Quid vero de his dicendum est, qui, vt alios fallant, mentiuntur, vel quacumque verborum arte se potius quam alium decipiendo peierant. Dominus namque, qui testis est conscientiae, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur intelligit. Vnde sanctus Augustinus ait: Periuri non sunt, qui verbis non seruatis, illud quod ab eis, cum iurarent, expectatum est impleuerunt: & periuri sunt, qui etiam seruatis verbis, expectationem eorum quibus iuratum est decipiunt. Hi miseri heu quantis rei tenentur criminibus, praeuaricatores rotius sacrae legis veteris & nouae proditi, quia loquuntur mendacium, quia assumunt nomen Dei sui in vanum, quia proximum dolo capiunt, insuper & periurant. Tales, nisi condignam egerint poenitentiam, adhuc in viuis corporibus mortuas gestare videntur miseras animas. Qua de re a Christianis quoque regibus de sacramentis leuiter non iurandis ita sta-

*Math. 5.**Ibidem.**Eccles. 29.**Ibidem.**Isid. lib. 11.
sentent.
cap. 31.*

ANNO
 CHRISTI
 909.

tutum est libro v. capite CCCXLIX. Volumus vt sacra-
 menta cito non fiant: sed vnusquisque iudex prius causam
 veraciter cognoscat, vt eum veritas latere non possit, ne
 facile ad sacramentum veniant. Item de periuriis cauend-
 dis, ex libro v. capite CCLXXVI. Præcipimus, vt periuria
 caueantur, nec admittantur testes ad sacramentum ante-
 quam discutiantur. Et infra: Si quis conuictus fuerit per-
 iurii, perdat manum, aut redimat. Itaque cum propter
 cauendum periurium necesse sit, si forte contigerit, ser-
 uare iusiurandum, illud tamen volumus omnibus esse no-
 tum, quoddam iuramentum nullo modo a Christianis ob-
 seruandum: videlicet quo malum aliquod incaute, vel
 etiam scienter, iurando promittitur. velut si quispiam
 adulteræ perpetuam cum ea permanendi fidem pollicea-
 tur, aut si quis, ne ad pacem redeat, vel vt aliquod flagi-
 tium committat, se sacramento constrinxerit. Tolerabi-
 lius est denique, non implere sacramentum, quam in illud
 quod male spondit permanere, vel quod decreuit per-
 ficere flagitium. Et ne forte quis dicat, aut periurium a no-
 bis suaderi, aut hoc nullum vel paruum esse putetur, quid
 de talibus Ilerdense statuatur Concilium capite VII. com-
 memoretur: Qui sacramento se obligauerit, vt litigans
 cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro periurio
 vno anno a communione corporis & sanguinis Domini
 segregetur, reatum suum elemosynis & fletibus, & quan-
 tis potuerit ieiuniis absoluat. Ad caritatem vero, quæ ope-
 rit multitudinem peccatorum, celeriter venire festinet.

Lib. 5. c. 197.

Conc. Iler-
 dens. Can.
 7.

XII.

Quia vero de discordantibus, iracundis, & litigiosis ser-
 mo nobis est, hæc quoque vitia quantum sint animæ no-
 ciua, quantumque omnibus Christianis cauenda, paucis
 demonstrare verbis necessarium duximus. Dominus in
 euangelio ait: *Væ mundo a scandalis. necesse est enim, vt ve-*
niant scandala: verumtamen væ homini, per quem scandalum
venit. Cum enim necesse sit, vt beatus dicit Hieronymus,
 in isto mundo fieri scandala, & vnusquisque suo vitio scan-
 dalis pateat: væ tamen ei homini, qui quod necesse est vt
 in mundo fiat, vitio suo facit vt per se fiat. Hinc Salomon:
Homo peruersus suscitât lites, & verbosus separat principes.
 Item: *Semper iurgia quærit malus: angelus autem crudelis mit-*

Math. 18.

Pro. 16.

Pro. 17.

D d d d iij

tetur contra eum. Angelus crudelis immundus est spiritus, qui a Domino contra peccantes & iurgia quærentes mittitur, vt eos vel in præfenti affligat, vel etiam post mortem ad interitum rapiat. Item Salomon: *Vir iracundus prouocat rixas: qui autem patiens est, mitigat suscitatas.* Item: *Qui meditatur discordias, diligit rixas.* Cum talibus certe Deus non est: quoniam attestante Paulo apostolo: *Non est Deus dissensionis, sed pacis.* In pace autem vocauit nos Deus. Hinc suauis doctor ecclesiæ Gregorius: Deus in vnitate est, & illi eius merentur gratiam habere, qui se ab inuicem per sectarum scandala non diuidunt. Et Dominus in euangelio: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade, prius reconciliare fratri tuo.* Vnde supradictus doctor ostendens quam grauis sit culpa discordiæ, dicit: Munus a Deo non accipitur, nisi ante discordia ab animo pellatur. De iracundis quoque Dominus dicit: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Hinc Iacobus: *Ira viri iustitiam Dei non operatur.* & Paulus apostolus nos admonet dicens: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* & Salomon: *Ne velox sis ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.* item: *Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* itemque: *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ferre quis poterit?* Ergo cohibenda est iracundia, pellenda discordia, refrenanda est rixa, vt non solum nostro vitio non prouocemus quemquam, sed vt prouocati & grauiter læsi, iuxta Pauli vocem, simus cum patientia supportantes inuicem, & donantes nobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam. Sicut Deus in Christo donauit nobis, ita & nos dimittamus inuicem quod debetur nobis, vt dimittatur quod debetur a nobis. Tale quippe pactum cum Deo facimus in oratione dicendo: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Vnde summopere cauendum est omnibus nobis. Qui enim non dimittit ei qui sibi facit iniuriam, hoc petendo non pro se facit orationem, sed superinducit maledictionem: & frustra sibi Deum propitium fieri quærit, qui placari proximo negligit. Et quia tales ab eo qui pax est separati sunt, iure & ab ecclesia separantur, nisi inimicitias deposuerint, decernente Concilio Agathensi hoc

Prou. 15.

Prou. 17.

I. Cor. 14.

Matth. 5.

Matth. 5.

Iac. 1.

Ephes. 4.

Ecc. 7.

Prou. 18.

Prou. 17.

Coloss. 3.

Luc. 11.

Conc.

Agath.

Can. 31.

ANNO
 CHRISTI
 909.

modo capite xxxi. Placuit etiam, vt sicut plerumque fit, quicumque odio aut longinqua inter se lite diffenserint, & ad pacem reuocari diutina intentione nequiuertint, a ciuitatis primitus sacerdotibus redarguantur. Qui si inimicitias deponere perniciosâ intentione noluerint, de ecclesiâ cœtu iustissima excommunicatione pellantur. Et in Concilio Carthaginensi statutum est capite xciii. Oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario, neque in gazophylacio recipiantur. Quorum igitur oblatio in præsentis ecclesiâ non recipitur sacrario, horum procul dubio animâ a cœlestis sacrarii, scilicet regni Dei, repelluntur consortio.

Conc. Carthag. IV. Can. 93.

XIII.

Ideo tantopere compescendam monemus discordiam, & iram cum litigio, quia ex eis odibilem Deo & eius dilectoribus scimus procreari sobolem, nefandum scilicet homicidium: quod crimen quam graue sit, & quanta illud comitentur infausta, omnibus sanum sapientibus pater. Cuius miseram originem idcirco altius repetere, & cunctis libet propalare, vt dum omnes mortiferam eius cognouerint esse radicem, aut nullo modo, si fieri potest, eam contingant, aut si forte, vt assolet, se ingesserit, mox primo attractu eius amarissimum virus a labiis antequam inficiantur submoueant. Igitur cum protoplasti, qui ea naturæ qualitate creati fuerant, vt immortalitatis ac mortis capaces essent, post primæ præuaricationis reatum, non mori propria voluntate perditio, & posse mori iam non sponte retento, vel, vt ita dicamus, non posse non mori sibi acquisito, ita fuissent morte mulctati, vt etiam quidquid ex eorum stirpe esset exortum, eadem teneretur pœna obnoxium, & quod in illis propter peccatum successit pœnaliter, in ex eis nascentibus sequeretur naturaliter: non tamen hic serpentina antiqui hostis quieuit inuidia, sed quæ vetito se infuderat pomo, vt dulcesceret faucibus parentum, in sequentem transfusa propaginem, ad intima transit præcordia filiorum. Et licet ipsa agente mors taliter intrauerit in orbem terrarum, parum tamen sibi fecisse visa est, si iam mortales pateretur debitæ mortis expectare terminum. Vnde, quod dictu lugubre est, in tantum se dilatando, & primæ conditionis innocentiam persequen-

Gen. 8.

Exod. 20.

Matth. 5.

Ioan. 8.

do effudit, vt nec illi, qui primi in terra editi sunt, germani fratres pacem inter se & concordiam habere possent, sed cum adhuc soli cum parentibus totius orbis domini existerent, alter alterum inuidendo occiderit, & præoccupato sibi debiti finis articulo, ante supremas maturæ metas vitæ eum in terram suam redire coegerit. Cumque Deus illum sub maledicto redactum septupla pro tanto facinore ultione damnasset, vt & ipse vsque ad septimam generationem fratricidii & inuidiæ suæ vagus profugusque pœnas lueret, & progenies eius in septima similiter generatione maledictioni subiaceret: cumque demum secundum homicidam Lamech, vt addito iam interdicti & maledictione mulctati sceleris crimine, sic addita multiplici vindicta, septuagies septies iuxta interpretationem sui nominis percussisset: non sic quidem semel corruptus sensus, & auito infecta veneno humani cordis cogitatio, quæ ipso dicente Domino, in malum prona sunt ab adolescentia sua, timore saltem pœnali ab impietate cœpta potuit refrenari: sed quo magis humani generis creuit propago, eo amplius non solum crudelium homicidiorum, sed & omnium scelerum concreuit magnitudo, ab inuidia diaboli sumpto principio, dum illum imitantur qui sunt ex parte eius. Quapropter quod diuino nequaquam cohibebatur timore, necessario legis, & veteris & nouæ, & ecclesiasticæ & sæcularis, prohiberi, & post prohibita perpetratum iure puniri debuit animaduersione. Ideo de infanis homicidiorum patratioribus quid sancitum sit antiquitus ex parte retexamus. In Decalogo legis veteris Dominus per Moysen præcipit: *Non occides.* Item: *Qui percusserit hominem, & occiderit, morte moriatur.* In euangelio vero Dominus per seipsum dicit: *Audistis quia dictum est antiquis, Non occides, qui autem occiderit reus erit iudicio.* Vbi dum ira penitus tollitur, quis homicidii locus relinquitur? Dum enim iubemur verberanti alteram præbere maxillam, inimicos quoque diligere, ac pro persequentibus orare, omnis, non dicam homicidii, sed & eius, ex qua nascitur, iræ videlicet occasio aufertur. Qui vero, & quales, cuiusque filii sint, & cuius opera faciant homicidæ, Dominus loquens ad Iudæos manifestat, cum dicit: *Queritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.*

2c

ANNO
 CHRISTI
 909.

ac si diceret, Non capit cor vestrum, quia non recipitur a corde vestro. si enim caperetur, caperet: caperet autem ad salutem, non ad perniciem. Item: *Vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis.* Qualia denique sunt, quæ apud patrem suum viderunt, in consequentibus aperit, cum quis sit ille illorum pater patenter ostendit. ille videlicet quem imitari, non a quo sunt creati. Item: *Vos facitis opera patris vestri.* Cumque illi, sicut & adhuc quidam miseri, nomine Christiani, opere vero diabolici, gloriarentur de paternitate vnus Dei, dicentes: *Nos, inquit, ex fornicatione non sumus nati: unum patrem habemus Deum,* audierunt: *Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me.* ac si diceret, Dicitis Deum patrem, agnoscite me vel fratrem. Utinam audiamus hoc nos Christiani, quod audire noluerunt Iudæi: vt si vere volumus de gratia paternitatis cælestis patris gloriari, & adoptiui eius esse filii, diligamus ex toto corde fratrem nostrum Dominum Iesum Christum, verum & proprium Filium Dei: diligamus & proximos nostros, secundum eius imperium, sicut nosmetipsos: cognoscamus, vocem loquelæ eius, sicut propriæ oues ipsius. ne exprobret nobis quod dixit Iudæis: *Quare, inquit, loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem. & hoc vnde? Vos, inquit, ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri facere vultis.* Et quasi interrogaretur, quæ sunt illius desideria, *Ille, ait, homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Homicida, inquit, erat ab initio, utique in primo homine. Ex illo ille homicida, ex quo fieri potuit homicidium. inuidit enim primo homini, & occidit hominem. Ergo qui illum imitando talia faciunt, vel facere desiderant, eius utique filii sunt, & cum tali patre, nisi cito resipuerint, hereditabunt pœnas ignis æterni, qui paratus est illi, & angelis eius, & filiis eius. Et quia se locus in præsentiarum obtulit, vt de mendacibus quid loquamur, audiamus ipsum Dominum ostendentem nobis quis pater mendacii & mendacium hominum habeatur. Cum enim dixisset de diabolo: *Ille homicida erat ab initio, addidit vnde, & in veritate, inquit, non stetit, quia veritas non est in eo. cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius, id est pater mendacii sui quod ipse genuit, quia a nemine illud audiuit.* Nam quisquis

Sap. 1.

Coloss. 3.

Ephes. 4.

Prou. 12.

Prou. 14.

Prou. 11.

Ecccl. 7.

Psal. 5.

homo ab alio mendacium accipit, & dicit, Mendax est, sed pater eius non est. Mendaces igitur apud patrem suum diabolum vident, & audiunt quod loquitur, id est mendacium, quod ex se natum idcirco docet proferri ore hominum, vt eorum animas per ipsum prolatum interficiat mendacium, attestante nimirum scriptura: *Os quod mentitur, occidit animam.* & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ignis ardentis sulphure. Propter quod omnes admonet apostolus Paulus: *Nolite, inquit, mentiri inuicem.* Itemque: *Deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo.* & Salomon: *Abominatio Domino est lingua mendacii: qui autem fideliter agunt, placent ei.* & iterum: *Liberat animas testis fidelis: profert mendacia versipellis.* Item: *Qui quod nouit loquitur, iudex iustitiæ est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus.* Hinc Iesus filius Sirach: *Noli, inquit, velle mentiri omne mendacium.* Cum enim, vt beatus pater Augustinus dicit, octo sint genera mendacii, nullo eorum a perfectis viris mentiendum est. Vnde Isidorus: Summopere cauendum est omne mendacium. & item: Omne genus mendacii summopere fuge. Omne enim quod a veritate discordat, iniquitas est. Esto in verbo verax, neminem mentiendo fallas, non aliud loquaris, & aliud facias: non aliud dicas, & aliud in animo teneas. Et in epistola Callisti papæ: Nihil mali vult qui fidelis est. si quis fidelis est, videat ne falso loquatur, aut cuiquam infidias ponat. Dicit psalmus: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Si quæritis, Quare? quia veritati, quæ Christus est, contrarium est. Pertinet namque ad id quod non est, non ad id quod est. Si enim hoc dicitur quod est, verum dicitur: si autem hoc dicitur quod non est, mendacium est. Ideo inquit: *Perdes eos qui loquuntur mendacium,* quia recedentes ab eo quod est, ad id quod non est declinauerunt. Licet quidam hoc non de omni mendacio, sed de hæreticis tantum intelligi velint. Nos autem fugientes a patre mendacii, curramus ad patrem veritatis, & loquamur veritatem ex corde & ore cum proximis nostris, vt mereamur inueniri participes veritatis æternæ, & Patri coæternæ, cum eo regnantes in sæcula. Sed reuertamur ad homicidas, qui vnum cum mendacibus dicuntur habere patrem, id est diabolum.

ANNO
 CHRISTI
 909.

Attendant quid Dominus post diluuium famulo suo Noe
 dixerit: *Sanguinem animarum uestrarum requiram de manu* Gen. 9.
hominis: de manu viri, & fratris eius, requiram animam eius.
quicumque effuderit humanum sanguinem, sanguis eius fundetur
pro eo: ad imaginem quippe Dei factus est homo. Quæ sententia
 cum sub interminatione prohibeatur homicidium, tamen
 ne quis insipientium putet animam hominis in sanguine
 constitutam, quæ immortalis est, & quæ ideo sic appel-
 latur, quasi anima, id est a sanguine longe discreta, noue-
 rit sanguinem animarum typice intelligendum ipsum vi-
 tale, quo vegetantur, & sustentantur, & viuunt homi-
 nes in carne per animam. Non enim sanguis hominis ad
 substantiam animæ creditur pertinere: quamuis alibi le-
 gislator dicere videatur: *Anima omnis carnis in sanguine est.* L. mat. 17.
 quod non ideo dictum est, vt hoc sit anima, quæ est pro-
 prie spiritalis substantia: sed quod per sanguinem anima,
 vt diximus, typice significetur, per rem scilicet visibilem
 res inuisibilis, sicut & illud: *Petra autem erat Christus,* non 1. Cor. 10.
 quia hoc erat, sed quia hoc significabat. Quo sensu & illud
 intelligendum est, quod sequitur: *Quicumque effuderit hu-* Gen. 9.
manum sanguinem, fundetur & sanguis illius. Multi denique
 effuderunt sanguinem, & sanguis eorum effusus non est.
 perimuntur etiam plurimi veneno, vel suspendio, vel quo-
 libet alio modo, & sanguis eorum non effunditur. Ergo
 cum ille qui occidit sanguinem non effuderit, quomodo
 eius sanguinem Dominus effusus est? nisi quia, vt dixi-
 mus, sanguis hominis ipsum vitale eius, quo subsistit, de-
 bet intelligi: quod qui effuderit, id est, qui aliquo genere
 mortis hominem occiderit, fundetur sanguis illius, hoc
 est vitalis portio eius: quoniam sicut illi, quem occidit,
 temporalem vitam, sic sibimet ipsi peccando vitam abstu-
 lit æternam. anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur.
 Cui simile est illud quod Petro dicitur: *Omnes qui acceperint* Math. 26.
gladium, gladio peribunt. ac si diceretur, omnes qui iniuste
 occidit hominem, eadem occisione ipsi in anima pereunt.
 & quia ad imaginem suam Deus hominem fecit, in eo quod
 huic manere ad æternitatem voluit, idcirco animas homi-
 nū ab his, a quibus de corporibus fugatur, requirit. Audiant
 igitur dolosi & falsi testes Psalmistam dicentem: *Virum san-* Psal. 5.
guinum & dolosum abominabitur Dominus. Item: *Viri sanguinum* Psal. 54.

Concil. Tom. 24.

Eeeee ij

& dolosi non dimidiabunt dies suos. & quia tales abominatur Dominus, abominatur etiam illos & ecclesia. Vnde taliter de eis in Concilio Agathensi capite xxxv. statutum est: Itaque censuimus homicidas & falsos testes a communione ecclesiastica submouendos, nisi pœnitentiæ satisfactio-
ne crimina admissa diluerint. & in Concilio Ancyrano capite xxi. Qui voluntarie homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem se iugiter submittant, perfectionem vero circa vitæ exitum consequentur. De his autem qui homicidium non sponte committunt, in eodem Concilio capite xxii. sic dicitur: De homicidiis non sponte commissis, prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcepit, secunda vero quinquennii tempus explere. Et de homicidis maleficis, in Concilio Eliberitano capite vi. Si quis maleficio interficiat alterum, eo quod sine idololatria perficere scelus non potuit, nec in finem impertiendam esse illi communionem. Igitur cum hoc scelus homicidiorum inter nostros iam crebrius actitatur, & non solum quorumlibet Christianorum, sed ipsorum etiam Christi ministrorum, insuper & summorum sacerdotum temerarie sanguis effunditur, & Dei timor, sacræque legis veteris & nouæ obseruatio, ac sacerdotalis reuerentia, Canonum quoque statuta conculcantur, atque omnis ordo ecclesiasticus a talibus passim confunditur, & ludibrio habetur, & repleti sunt qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum, quid nobis agendum est? Dum religio sancta annullatur, dum fas & ius confunditur. restat solummodo cum Psalmista proclamare ad
Psal. 73. Dominum, & dicere: *Exurge Deus, iudica causam tuam: memor esto improperorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.* Verumtamen quos diuinus non restringit, saltem humanus timor coerceat. Proponantur eis edicta imperatorum. In libro capitularium vi. capite xc. ita censetur:
Lib. 6.c.90. Qui occiderit monachum, aut clericum, arma relinquat, & Deo in monasterio seruiat cunctis diebus vitæ suæ, nunquam ad sæculum reuersurus, & septem annos publicam
Lib. 6.c.97. pœnitentiam gerat. Ex eodem libro capite xxviii. Si quis sacerdotem, vel Leuitam, aut monachum interfecerit, vel debilitauerit, iuxta statuta priorum capitulorum, quæ legi Salicæ sunt addita, componat, & insuper bannum

ANNO
 CHRISTI
 909.

nostrum, id est LX. solidos, nobis persoluat, & arma relin-
 quat, atque in monasterio diebus vitæ suæ sub ardua pœni-
 tentia Deo seruiat, nunquam postmodum sæculo vel sæcu-
 laribus militaturus, neque vxori copulaturus. Item in libro Lib. 7. c. 183.
 VII. cap. CCXXV. De homicidis ita iussimus obseruari, vt
 quicumque ausu temerario alium sine causa occiderit, vi-
 tæ periculo feriat, & precio se redimere nunquam va-
 leat. Et si conuenerit vt ad compositionem quisque de-
 scendat, nullus de parentibus aut amicis eum quidquam
 adiuuet. quod si fecerit, suum vvirgildum omnino compo-
 nat. Cum ergo de istis tam districtum proferatur iudicium,
 quid censebitur de nece episcoporum? Quod fortassis hic
 ideo videtur omissum, quia post sopitam persecutionis
 Christianorum, quæ a Paganis exercebatur, sæuitiam, vel
 si fuit rarissimum, vel nullum tam immane facinus inter
 Christianos est perpetratum: & idcirco quomodo pœni-
 teri aut puniri debeat, hac non est lege diffinitum. Hoc
 tantum inter cetera capitularium scripta, libro V. cap. Lib. III. c. 25.
 CCLXI. reperitur, quod qui episcopum occiderit, non-
 gentis solidis culpabilis iudicetur. Sane quomodo in tali-
 bus vindicandum sit, quia non hominis vindicta quæritur,
 sed Dei, ne quantum ad humanum spectat intuitum, tan-
 tum facinus remanere videatur inultum, & super eos, qui
 Dei vindices esse debuerant, dum suas grauius, Dei vero
 velleuius, vel nullatenus vlciscuntur iniurias, iustum eius
 superducatur iudicium, videat rex vt recte de talibus iu-
 dicando nomen suum factis adimpleat. Videant duces eius
 & comites, qui gladium Dei portant ad vindictam male-
 factorum, de quibus ait Apostolus: *Principes non sunt ti-* Rom. 13.
mori boni operis, sed mali: vis autem non timere potestatem? bo-
num fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi
in bonum. Si autem malefeceris, time: non enim sine causa gla-
dium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum
agit. Et sibi metipsis, suisque prospiciant subditis, iuxta
 exemplum Moyfi famuli Dei, qui in Dei vindictam sibi
 coniunxit, armavit, & animavit filios Leui, & cum esset
 mitissimus, in quosdam idololatrias puniendo eos veluti
 defecit, præcipiens suis: *Ponat vir gladium super femur* Exod. 32.
suum. & rursus: Ite & redite de porta vsque ad portam, & oc-
cidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum,
 Eeeee iij

ne in omnem populum ira Dei defœuaret. Si enim ipse rex videlicet, atque sui, quibus hoc agendum negotium instat, Dei iudicium quoquo modo dissimulauerint, ipsi viderint. Stat namque firma Pauli sententia apostoli, in quo ipsa veritas Christus loquebatur, qua dicitur: *Reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiam hominum, eorumque qui veritatem Dei in iniustitia detinent.* & post pauca: *Qui cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, id est, intelligere noluerunt: quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* & iterum: *Scimus quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.* Nos vero talibus, si forte tandem aliquando vel in vltimis suis resipuerint, tamque grauium admissorum veniam corde tenus postulauerint, ne videamur eam, quæ claudi non potest, ianuam pietatis Dei obstruere velle, & de eius misericordia aliquos, quod absit, desperare, imo, vt ita dicatur, mortuis mortem addere, nequaquam pœnitentiam denegari dicimus: cum Deum misericordem ad subueniendum miseris, ad benignitatis eius portum confugientibus paratissimum credamus, inuitantem omnes ad pœnitentiam, atque per prophetam clamantem: *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.* Quibus tamen pœnitentiæ modos & tempora iuxta qualitatem peccati dicimus decernenda, sicut taxatur in Concilio Africano cap. x. Pœnitentibus, inquit, secundum differentiam peccatorum, episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur. Item in eodem Concilio cap. LXXIV. Vt sacerdos pœnitentiam imploranti, absque personæ acceptione, pœnitentiæ leges iniungat. Nos quidem de istis quod nostrum erat egimus. Denique secundum sententiam beati apostoli Pauli, vt tollerentur de medio Christianorum qui hoc egerunt, iam iudicauimus qui sic operati sunt, in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis nobis & eius spiritu cum virtute Domini nostri Iesu Christi tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi, si tamen pœnitentiam agere voluerint. Sic enim idem Apostolus se egisse testatur de his qui circa fidem naufragauerunt, id est in fide male viuendo errauerunt, scribens ad Timotheum: *Ex quibus est, inquit, Hymenæus, &*

Rom. 1.

Rom. 2.

Ezech. 33.

Concilium
Carthagi-
nense IV.
Can. 74.

1. Cor. 5.

1. Tim. 1.

ANNO
CHRISTI
909.

Alexander, quos tradidi satanae, ut discant non blasphemare. Si vero ut inceperunt in sua perseverauerint malitia, & diuitias bonitatis Dei, & patientiae, & longanimitatis contempserint, secundum duritiam suam, & impaenitens cor, thesaurizantes sibi iram in die irae & reuelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius: quoniam a nobis modo non traduntur satanae in interitum carnis, ut spiritu saluentur, sed ipsi potius seipsos ex toto traderunt satanae, ut cum ipso in die Domini nostri Iesu Christi pereant: nos quoque, cum omni ecclesia Christi, quia nec debemus, nec possumus, eis nec viuis nec mortuis communicabimus. Insuper & secundum potestatem nobis in beato Petro & in ceteris collatam apostolis, quibus dictum est: *Quaecumque alligaueritis super terram, erunt ligatae & in caelis*, illius anathematis vinculo eos adhuc innodabimus, ut iuxta Pauli vocem, quia non amant Dominum nostrum Iesum Christum, quin imo oderunt, & persequuntur, & illum qui nomen eius cum sacra vntione gestabat, vicisque illius agebat, christum Domini interfecerunt, sit quisque eorum, qui hoc nefandissimum scelus opere perpetravit, & quicumque eis quoquo modo fauendo, & communicando consentit, anathema maranatha, id est condemnatus donec Dominus redeat, vel perditio, siue ut dictum est condemnatus in die iudicii, quando Dominus veniet. Gratia autem & misericordia Domini nostri Iesu Christi sit nobiscum, & cum omni ecclesia eius. Amen.

XIV.

Quamquam superius de sacrilegis inter nos sermo sit habitus, vbi ex parte ostendimus, quam graue sit illud facinus, & qua poena iure plectatur sacrilegus: tamen quia inter nostrates hic pessimus inoleuit mos, ut defuncto ecclesiae episcopo, mox a quibuscumque potentioribus peruadantur res ecclesiasticae, quasi episcopi fuerint propriae, cum etiam si eius essent, contra omne ius id fieret: hoc tam immane sacrilegii facinus, & iam saepius factum scientes dolemus, & ne vltius a quolibet praesumatur, auctoritate Dei, & sanctorum eius, qui cum illo regnant in caelo, nostro etiam episcopali ministerio, quibus Dominus licet indignis potestatem dedit in suis apostolis dicens: *Quodcumque alligaueritis super terram, erit ligatum & in caelo*.

lis: & quodcumque solueritis super terram, erit solutum & in caelis, interdicimus. Vnde inter ceteras de hac re Canonum constitutiones, in Concilio Valentino cap. II. ita scribitur.

ANNO
CHRISTI
909.

Concilium
Valenti-
num in His-
pania.

Hoc etiam placuit, vt episcopo ab hoc saeculo iubente Domino accersito, clerici ab omni omnino suppellectili, vel quaecumque sunt in domo ecclesiae, vel episcopi, in libris, in speciebus, utensilibus, vasculis, frugibus, gregibus, animalibus, vel omni omnino re, rapaces manus abstineant, & nihil latronum more diripiant. Qui nisi Canonum auctoritate cohibiti fuerint, omnia quae peruaserint, metropolitani vel omnium comprouincialium sacerdotum districtione coacti, in pristinum statum redintegrare cogantur: vt nihil antistiti, vel dispensatori futuro necessariorum sub hac iusta constitutione depereat. Quod vt confidentius iustitia manente seruetur, secundum Regensis

Concilium
Regense
cap. 6.

Synodi constituta, episcopo e corpore recedente, vicinior illi accedat episcopus, qui ex more exequiis celebratis statim ecclesiae illius curam districtissime gerat, ne quid ante ordinationem pontificis futuri, remanentium clericorum subuersioni vel direptioni iam liceat. Ita vt de repertis omnibus inspectio certior, descriptioque fidelissima, si fieri potest, intra octauas defuncti, sub diligentia praesentis episcopi peragatur: dehinc ad metropolitani notitiam habita ordinate descriptio deferatur, vt eius electione talis persona ordinandae domui ecclesasticae procuretur, quae vel consueta clericis stipendia dispense, & creditarum sibi rerum, si forsitan tarditas in episcopo ordinando successerit, metropolitanis congruis temporibus reddere possit rationem: vt sub hac salubri constitutione clerici stipendiis suis omnino contenti, labores non diripiant episcopi decedentis, & in vacuam ecclesiae domum futurus pontifex non cum dolore succedat: sed magis de praecessoris sui dimisso possit & ipse gaudere, & aliis ministrare. Item cap. III. Simili quoque modo parentibus & propinquis decedentis episcopi, si intestatus obierit, denuntietur, vt sine metropolitana vel comprouincialium sacerdotum conscientia, nihil de rebus defuncti occupare pertentent: ne forte hereditariis rebus etiam aliqua ad ecclesiam pertinentia vel permixta vsurpent; sed vsque ad ordinationem futuri expectent antistitis, aut certe, si longum fuerit, ad metro-

Concilium
Valent.
Can. 3.

poli-

ANNO
 CHRISTI
 909.

politani, vt dictum est, admonitionem recurrant. Si quis autem, immemor diuini timoris, contra hæc sancta synodica clericus quisq; vel laicus venire improba mente tenterit, & communione & consortio priuetur ecclesiæ: quia durum est vt ad illam conueniat, quam exspoliare non metuit: nisi forte spiritu meliori correptus, dum a præsumptione cessauerit, recuperat indulgentiam. Si autem rationabiliter modesteque vnusquisque repetit quod sibi iure debetur, ei absque aliqua animaduersione a metropolitano, vel cui iniunxerit, aut res aut ratio non negetur. Hos etiam omnes Canones constringunt, qui tam in præteritum, quam in futurum, res ecclesiæ vel episcopi vsurpantes diripuerunt. Item cap. iv. Illud etiam prouido consilio decernentes, vt quia sæpe sanctorum antistitum, per absentiam commendatoris episcopi, exequiæ differuntur, ita vt veneranda pontificis membra, dum tardius funerantur, iniuriæ omnino subiaceant, episcopus, qui post mortem fratris ad sepeliendum eum solet inuitatus occurrere, infirmum magis, & adhuc in corpore positum, admonitus visitare non differat, vt aut de releuatione sacerdotis amplius gaudeat, aut certe de ordinatione domus suæ fratrem admoneat, eiusque probabilem voluntatem in effectum transmittat, ac recedentem a sæculo, post oblatum in eius commendatione sacrificium Deo, mox sepulturæ tradat diligentissime, & superius constituta canonice non differat adimplere. Si autem, vt fieri solet, antistes obitu repentino discesserit, & collimiranei sacerdotes de longinquo minime adesse potuerint, vno die tantum cum sua nocte exanimatum corpusculum sacerdotis maneat, nec sine fratrum ac religiosorum frequentia, vel psallentium excubatione seruatum a presbyteris, cum omni diligentia in loculo conditum seorsim, non statim humetur, sed honorifice commendetur, donec sine mora inuitato vndecumque pontifice, ab ipso, vt condecet, solenniter tumultetur: vt & iniuriæ tollatur occasio, & mos antiquus in sepeliendis sacerdotibus obseruetur. In decreto quoq; synodali Toletana vrbe gesto, Can. iiii. sic legitur. Ea quæ competunt honestati contingit sæpe quorundam desidia non impleri. Proinde quia notum est quæ dignitas in exequiis morientis episcopi ex Canonibus conseruetur, traditioni

Concilium
 Valentini-
 num Can. 4.

Concilium
 Tolet. VII.
 Can. 3.

Concil. Tom. 24.

F ffff

moris antiqui hoc tantum adiicimus, vt si quis sacerdotum, secundum statuta Valentini Concilii, ad humana decedentis episcopi membra venire commonitus pigra voluntate distulerit, appellantis clericis obeuntis episcopi apud Synodum, siue apud metropolitanum episcopum, tempore anni vnus nec faciendi Missam, nec communicandi habeat omnino licentiam. Presbyteri autem, siue ceteri clerici, quibus maior honoris locus apud eandem ecclesiam fuerit, cuius sacerdos obierit, si sollicitudine pro exequiis aut iam mortui, aut continuo antistitis morituri, ad commonendum tardi inueniantur, aut per quamcumque molestiam animi id negligere comprobentur, totius anni spatio ad poenitentiam in monasteriis deputentur. Ergo cum de exequiis episcopi decedentis talis habeatur patrum constitutio, non ab re tamen ducimus, & nunc omnibus notum fieri, quatenus nullus audeat tantum scelus perpetrare sacrilegii, & quod nefas est, legesque prohibent alicui specialiter homini fieri, hoc nemo praesumat sanctae matri ecclesiae vlllo modo facere. Et quoniam in quibusdam opportunitas locorum se offert, vt ad obitum, vel exequias alicuius ex nobis, duo vel tres episcopi conuenire possint, & vestrae amabili in Christo fraternitati ita placitum esse dignoscitur, decet vt sancta caritas se ostendat in mortuorum funeribus, quae in viuorum flagrauit pectoribus. Sane quia innotuit nobis sancta sedes apostolica, adhuc errores blasphemiasque cuiusdam vigere Photii in partibus orientis in Spiritum sanctum, quod non a Filio, nisi a Patre tantum procedat blasphemantis, hortamur vestram fraternitatem vna mecum, vt secundum admonitionem domini Romanae sedis, singuli nostrum, perspectis patrum catholicorum sententiis, de diuinae scripturae pharetris acutas proferamus sagittas potentis, ad confodiendam beluam monstri renascentis, & ad conterendum caput nequissimi serpentis.

XV.

His ita praelibatis, nunc omnes generaliter alloquamur, qui iuste & pie volunt viuere in communione sanctae ecclesiae catholicae, quae est vnum corpus Christi, cui vnus est Dominus, vna fides, vnum baptisma. Quae cum generaliter ab ipso suo capite Christo super petram, id est, super

ANNO
CHRISTI
909.

ANNO
 CHRISTI
 909.

confessionem Petri sit ædificata, manifestum tamen est, in omnem Italiam, Gallias, & Hispaniam, nullum instituisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis Petrus, aut eius successores constituerunt sacerdotes. Et quoniam ecclesia in nostris quoque partibus, vt dictum est, super hanc petra soliditatem non tantum fundata, sed ab eo eiusque est successoribus etiam edocta, cum Dei gratia, ipsius B. Petri suffragantibus meritis, firmitatem fidei, quam primo percepit, hætenus inconcussam seruare studuit, nullaque perfidorum consortia recepit. At vero quia multi fide tantum Christiani sunt, opere vero a Christiana doctrina dissentiant, & attestante Iacobo apostolo didicimus, fidem non solum otiosam, sed etiam esse mortuam sine operibus, ait enim; *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, Iac. 2. opera autem non habet? numquid poterit fides saluare eum?* Et beatus Hieronymus: *Quid proderit, si impie agens Deum voce inuocas, quem operibus negas? Sanctus quoque papa Gregorius: Quid prodest, si Redemptori nostro per fidem iungamur, si ab eo moribus disiungamur? Itaque ille vere credit, qui exercet opere quod credit. Magnopere satagendum est, vt qui fideles esse dicuntur, si cum fidei Abraham benedici cupiunt, qui non tantum ex fide, sed ex operibus iustificari meruit, beate viuere studeant. Ille enim, vt sanctus ait Hieronymus, beatus est, qui & recte credendo bene viuuit, & bene viuendo fidem rectam custodit. Sed heu, proh dolor! nostris, nostrorumque comministrorum, & qui iam discesserunt, & qui adhuc supersunt, tam incuria, quam inscientia, perditii vitiis multi, & pene innumerabiles adhuc inueniuntur in plebe ecclesiastica, cuiuscumque sexus, & ætatis, pariter & conditionis, qui ad vsque sua tempora senectutis necdum, vt debuerant, perceperere fidei notitiam simplicis, vsque adeo vt nec ipsius symboli verba salutaris, nec saltem supplicationem dominicæ nouerint orationis. Hi vero tales, etsi aliquid videatur habere bonæ conuersationis, quomodo sine fidei fundamento ædificium construunt boni operis? Et ad hæc quid excusationis prætereundum possumus, dum tales a corpore exeuntes, non ad vitam, quam non nouerunt, sed ad mortem rapiuntur æternam, quam euadere sine fide, ex qua iustus viuere creditur, minime potuerunt? Nos*

Concil. Tom. 24.

Fffff ij

ergo, vt beatus ait Gregorius, pereunte populo auctores mortis existimus, cum duces esse ad vitam debuimus. Ex nostro enim peccato populi turba prostrata est, quia faciente nostra negligentia ad vitam erudita non est. Quam terribilem nimis, imminentemque nobis & ipsis damnationem, & per nos, & per secundi ordinis confacerdotes, omnimodis euadere conemur, erudientes assidue commissos nobis, & fidei verbis, & bonorum operum exemplis: vt in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, vt non vituperetur ministerium nostrum. ne de nobis dicatur: *Sacerdotes ignorauerunt scientiam.* & item: *Sacerdotes non dixerunt ubi est Dominus, & tenentes legem nescierunt me.* & ne illam incurramus offensam, quam Heli sacerdos incurrisse dignoscitur eo quod filios suos indigne agentes non digne corripuit.

Ier. 2.

1. Reg. 4.

Generaliter omnibus. Ergo primo omnium collocet sibi vnusquisque Christianus, qui aliter Christianus vere dici & esse non potest, fundamentum Christianæ religionis, id est, fidem catholicam, vt credat in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vnum & verum Deum, trinum in personis, vnum in substantia. Credat nihilo minus, quod sola persona Filii pro salute nostra carnem assumpsit, in qua passus est: & resurrexit, & in celos ascendit, cum qua etiam ad iudicium venturus est. Credat & in Spiritum sanctum, & quod in baptisate per eum tribuatur omnium remissio peccatorum: & quod eius dono in ecclesia Christi per pœnitentiam, & per sacerdotale ministerium, incunctanter peccatorum detur indulgentia. Credat quoque veraciter in vera carne futuram in aduentu Christi resurrectionem omnium. Hoc veræ fidei fundamentum bonis necesse est exornetur operibus, quia sicut sine fide impossibile est placere Deo, ita & fides perfecta esse non valet, nisi per dilectionem operetur: insuper si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Exornetur ergo sancta fides, vt vera & fructuosa sit, spe, caritate, humilitate, castitate, continentia, sobrietate, vnanimitate, concordia, iustitia, misericordia, innocētia, & simplicitate, & ceteris his similibus quæ in dilectione Dei consistunt, & proximi. Videat vnusquisque, ne eius decorē diuersis commaculet flagitiis. Inter quæ maxime hæc cauenda peruidemus, & quanto occul-

ANNO
 CHRISTI
 909.

tiora, tanto periculosiora esse pro certo scimus. Superbiam scilicet, quæ & de angelo diabolum facere, & de cælo nouit præcipitare. Inuidiam, a diabolo inuentam ad deiiciendum de paradiso hominem, & ad mortem in orbem terrarum introducendam. Odium & discordiam, prædictorum criminum sequaces, sed non minus perniciosos, quia matrem omnium virtutum caritatem expellunt, & illa fugata, omnia simul, si qua fuerint, bona opera peruertunt. Hæc igitur principaliter a fidelium cordibus sunt extirpanda, & cum his, ea quæ superius partim denotando perstrinximus, penitus abominanda. Similiter & illa, quæ quasi naturaliter in vsu habentur, sicut sunt ebrietates, comessationes, contentiones, detractiones, & inimicitia, & his similia, quæ iuxta Apostolum homines a regno Dei excludunt: *Quoniam, inquit, qui talia* Gal. 5. *agunt, regnum Dei non consequentur.* Simili modo & illa cohibenda omnimodis, quæ contra ius humanæ societatis, sicuti sunt furta, & iam superius dictæ execrabiles rapinæ, calumniæ, oppressiones, inuasiones, quæ prius reddenda, postea sunt pœnitentiæ remedio corrigenda. Inhibemus quoque modis omnibus, cum ingenti protestatione, pessimam lucri rabiem, vsurarum scilicet adinventionem, quam non minus clerici sectantur, quam laici dominici immemores præcepti, quo dicitur: *Pecuniam tuam non da-* Lemir. 25. *bis ad vsuram.* & iterum: *Non accipies a fratre tuo vsuram, nec amplius quam dedisti.* Exstant & alia diuersorum criminum mala, quæ improbat & condemnat lex diuina, pro quibus populus vastitate, & gladio, fame & pestilentia atteritur, & ecclesiæ status infirmatur, regnumque periclitatur: vt sunt nefandissimæ cum masculis aut pecoribus pollutiones pro quibus dulcis & benignus Deus noster ad amaritudinem iracundiæ tanto grauius prouocatur, quanto contra naturam fieri comprobantur: & vt sunt illa, quæ ex Paganorum ritu adhuc superesse videntur, scilicet magica, sortes, phylacteria, veneficia, diuinationes, somniorum coniectationes: quæ omnia puniri iubet lex diuina, quia manifestissime in talibus seruitus est diabolica. De quibus in Concilio Ancyrano titulo xxiii. ita scriptum est: *Qui diuinationes expetunt, & morem Gentilium subsequuntur, aut in domos suas huiuscemodi homines introducunt, exqui-*

Concil. Tom. 24.

Fffff ij

rendi aliquid arte malefica, aut expiandi causa, sub regula quinquennii iaceant, secundum gradus pœnitentiæ definitos. Similiter vnusquisque Christianus caueat & ab his, quæ videntur quidem leuia, sed contra diuina fiunt mandata, a scurrilitate & stultiloquio, a fabulis otiosis, turpibusque & obscœnis fermocinationibus. Hæc nempe pluri mi non solum in domibus & conuiujs suis loquuntur, & libenter audiunt: sed etiam, ad prouocandum Deum ad iracundiam, in basilicis illi & sanctis eius consecratis, absque respectu timoris alicuius, irreuerenter his vacare non desistunt. Seruetur sane cultus honor, & reuerentia domini diei, & sanctarum solennitatum. Ieiunium quoque tam indictum, quam etiam quatuor temporum. Cessent mendacia periculosa & noxia, quæ assidue nimis fiunt. Iuramenta, maledicta, turpia nec non cantica, & cetera his similia, quæ longum quidem est enumerare, sed per necessarium cito corrigere. Considerantes igitur, nos omnium operum & sermonum, insuper & cogitationum, reddituros esse rationem ei qui venturus est in maiestate terribili reddere vnicuique secundum quod gessit, siue bonum siue malum, & peccata siue parua siue magna non posse impunita esse: ad flagella quoque, quæ pro eisdem iam nunc iuste, grauia quidem, sed minora quam meremur, patimur, non insensibiles, non incorrigibiles, non murmurantes, manum eius ad feriendum extentam, quam ne percuteret anticipare negleximus, dum adhuc paterna pietate sicut filii verberamur, saltem ne vsque ad interuersionem, ne vsque ad animam feriat, mitigare celeri conuersione & condigna satisfactione curemus. ne sicut mali serui, & in præsentia districta animaduersione feriamur, & ad seueriora in futuro supplicia pertrahamur. Dum adhuc vacat, dum adhuc qui offensus peccata nostra propter pœnitentiam dissimulat, & vt ab eius seueritate ad illius bonitatem reuertamur blandimentis & minis clamat, non obduremus corda nostra, sicut hæcenus patres nostri & nos egimus. Peccauimus enim cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus. Iam nunc ergo reuersi ad conscientias nostras, & mala quæ gessimus diiudicantes, pura & vera confessione confiteamur Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Procidamus

ANNO
 CHRISTI
 909.

& ploremus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, quia benignus & misericors est, præstabilis super malitia, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Si igitur ex toto corde conuersi ad Deum, veram pœnitentiam, fructusque pœnitentiæ dignos fecerimus, crebris & sanctis instantes ieiuniis, vigiliis castis, illique bene complacitis, & orationibus falso lacrymarum imbre perfusis, cum eleemosynis iustis, ceterisque misericordiæ & caritatis operibus, atque profiteamur nos ad pristina impietatum nostrarum scelera nunquam redituros, iuuante eius gratia, sine quo nihil possumus: si in istis perseuerauerimus, satisfaciētes Deo & ecclesiæ de præteritis peccatis per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, & per contriti cordis sacrificium, cito eius, qui cor contritum & humiliatum non spernit, & cui proprium est misereri semper & parcere, misericordiam consequemur. Cito dicimus, quia apud benignum Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris. Ipse enim per prophetam loquitur dicens: *Cum conuersus ingemueris, saluus eris.* itemque: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua.* Cum ergo tanta sit benignitas Domini Dei nostri, non negligamus, non differamus, non tardemus conuerti ad ipsum, sed sicut nos hortatur sanctus Paulus apostolus, *adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno,* per Iesum Christum Dominum nostrum, cui est cum coæterno Patre, & Spiritu sancto virtus & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Heriueus Rhemorum archiepiscopus his edictis annuens subscripsit.

Vuito Rothomagensium episcopus subscripsit.

Rodulfus Laudunensis præsul subscripsit.

Erluinus Beluacensium episcopus subscripsit.

Raubertus Nouiomagorum episcopus subscripsit.

Letoldus Catalaunicus episcopus subscripsit.

Abbo Suesforum episcopus subscripsit.

Stephanus Cameracensis episcopus subscripsit.

Hucbertus Meldensis ecclesiæ episcopus subscripsit.

Fffff iiij

784 GUILLELMI DVCIS AQVITANIÆ

Otfridus Siluaneſenſis epiſcopus ſubſcripſit.
 Stephanus Morinorum epiſcopus ſubſcripſit.
 Otgarius Ambianenſis epiſcopus ſubſcripſit.

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

Concilium Troſleianum.] Troſleium vici nunc etiam nomen eſt paucis millibus diſtantis ab Auguſta Sueſſorum. Vbi & alia deinceps hoc ſæculo habita Concilia, quæ Flodoardus in chronico idemdem commemorat. huius enim an meminere, quia partem illam chronici mutilam habemus, incertum eſt. Videntur etiam hoc Concilium ignoraffe Canonum collectores Burchardus, Iuo, Gratianus, & poſteri, ita de illo ſilent omnes: niſi quod noſtra memoria primus eius testimoniis in epitome ſua uſus eſt Antonius Auguſtinus.

GUILLELMI COMITIS
ARVERNORVM ET DVCIS AQVITANIÆ
TESTAMENTVM,

*Quo prima Cluniaceniſis monaſterii fundatio inſtituta eſt anno
 Chriſti DCCCCX. Caroli Simplicis regis poſt
 obitum Odonis anno XIII.*

Pron. 13.

CVNCTIS ſane conſiderantibus liquet, quod ita Dei diſpenſatio quibusque ditibus conſulit, vt ex rebus quæ tranſitorie poſſidentur, ſi eis bene vtantur, ſemper manſura valeant præmia promereri. Quod videlicet diuini ſermo poſſibile oſtendens, atque ad hoc omnino ſuadens, dicit: *Diuitiæ viri redemptio animæ eius.* Quod ego Vvillielmus dono Dei comes & dux ſolicite perpendens, ac propriæ ſaluti, dum licitum eſt, providere cupiens, ratum, imo pernecceſſarium duxi, vt ex rebus, quæ mihi temporaliter collatæ ſunt, ad emolumentum animæ meæ aliquantulum impertiar, quippe quia in his videor excreuiſſe, ne fortassis totum ad curam corporis redarguar in ſupremo expendiſſe: quin potius cum ſuprema fors cuncta rapuerit, quiddam mihi gaudeam reſeruafſe. Quæ ſcilicet cauſa nulla ſpecie vel modo congruentius poſſe fieri videtur, niſi vt iuxta Domini præceptum, amicos mihi faciam pauperes eius: vtque huiusmodi actio

Lnc. 16.